DE MASSILIENSIUM CUM EOIS POPULIS COMMERCIO TEMPORE QUO BELLA IN CHRISTI HONOREM GESTA FUERUNT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI
THESIM PROPONEBAT

J. MARCHAND
AGREGATUS IN HISTORIA
IN AQUENSI ACADEMIA INSPECTOR

PARIS
LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie
79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1889

DE MASSILIENSIUM

CUM EOIS POPULIS COMMERCIO

TEMPORE QUO BELLA

IN CHRISTI HONOREM

GESTA FUERUNT

Coulommiers. — Imp. P. Brodard et Gallois.

DE MASSILIENSIUM
CUM EOIS POPULIS COMMERCIO
TEMPORE QUO BELLA
IN CHRISTI HONOREM
GESTA FUERUNT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

THESIM PROPONEBAT

J. MARCHAND

AGREGATUS IN HISTORIA

IN AQUENSI ACADEMIA INSPECTOR

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET C^ie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

1889

H. PIGEONNEAU

IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE PROFESSORI

Hoc opus, grato animo, dedicavi.

J. Marchand.

DE MASSILIENSIUM
CUM EOIS POPULIS COMMERCIO
TEMPORE QUO BELLA
IN CHRISTI HONOREM
GESTA FUERUNT

PRÆFATIO

Historiarum scriptores qui res a regibus imperatoribusque præclare gestas, bella, certamina, urbes denique obsessas captasve maximo studio olim persecuti sunt, nunc, contra, ea, quæ ad mores explicandos, vitæ rationes habitumque noscendos et ad populorum, ut ita dicam, veterem repræsentandam speciem pertinent, magis ac magis discere laborant. Quæ quidem omnia nos bene docet historia commercii. Licet enim, adjuvantibus commercii rationibus pactionibusque in vulgus jam nunc editis, qui gentis cujuscumque usus, quis modus vivendi, fuerint; quæ tulerit, quæ negaverit unaquæque regio; quæ populi veteres desideraverint et ab externis gentibus petierint; quæ autem habuerint et vicinis populis ministrare valuerint, non adeo incaute exponere. In domos interiores, ducibus mercatoribus, penetrare facile est;

patet ostium; intrare et omnia, ornamenta, vestes, cibos, inspicere non negatur. Apparet homo quicumque non armis aut toga indutus, nec ad dimicandum vel ad civiles partes gerendas instructus, sed nudus et egens, nec sine ingenti labore ea, quæ natura ipsa ministrare videtur, sibi parans, omisso illo omni civili vel militari apparatu.

Nec illa certe studio indigna videtur, quæ ad hominum necessitates consuetudinesque spectat, historia. Omittamus, concedo, mores artesque qui tamen, si gentium fata in universum considerantur, minime negligendi sunt. Ad bella redeamus, quæ historiæ tantam materiem præbuerunt. Ut ea obtinerent quæ vitam ornare hominumque opes et decus augere solent, arma reges populique sæpissime susceperunt. Victorem semper mercator secutus est; nonnunquam antecessit; sæpissime adjuvit. Commercii igitur annales historiæ non minima pars esse videntur. Nullum populum, ætatem nullam bene noveris, si commercium omiseris.

Vigente pace, stat floretque commercium; bello flagrante, evanescit. Ad deterius igitur delapsum est Europæanarum gentium commercium, quum, labente romano imperio, tota barbaries, novo et inaudito impetu acta, oras nostras, incendii more, aggressa est et vastavit. Ruinæ fuerunt, ut solitum est, immensæ; nec commercium, tanto casu obrutum, brevi resurgere valuit. Divitiæ simul atque artes et luxuries, quæ commercii materia sunt alimentumque, fere omnino cecidere. Tenebræ fuerunt, nec nisi pluribus post tantam cladem, seculis, dissipatæ. Gentes tamen

omnes vidisses quæ Galliam, Hispaniam, Germaniam, Italiamque occupaverant, ubi pax, etiam dubia et incauta vigeret, ut cum vicinis gentibus societatem inirent et commercio indulgerent, totis suis viribus niti; quod quidem præcipue regnante illo Carolo nostro, qui Magnus appellatus est, manifestius apparuit. Denique tandem, quum ad finem vergeret decimum post Christum seculum, renovamen fuit quoddam. Resurrexerunt civitates, ad majorem libertatis summam, majoremque etiam divitiarum copiam obtinendam enitentes. Floruerunt eo tempore illæ Italæ civitates, adeo inclitæ, quæ præclarum libertatis et opum simul acquisitarum, toto orbe tantam admirante fortunam, documentum dare valuerunt. Genuam præcipue, Pisam Venetiamque, si de Italia tantum, Alexandriam autem, si quoque de Africa inquiritur, nomine dicere licet. Ne Massiliam tamen omittamus, quæ Interioris maris littore sedens et in medio occidenti quasi umbilicus, ut ita dicam, sita, ut toti Interiori mari imperaret, natura ipsa creata fuisse videtur.

Scriptores multi, nec non doctissimi, Italici commercii vices revolvere aggressi sunt; nullus vero Massiliensis commercii historiam referre valuit. Fuerunt quidem nonnulli rerum Massiliensium, non adeo contemnendi, assertatores, qui de commercio agerent; nullus, qui integrum opus ad finem redigeret. Deerant enim documenta, quæ in corpus redacta et edita, scriptorem sollicitarent; deficiebat opus, deficiente materia. Nunc primum e pulvere acta pactionesque surgere cœperunt, edente præcipue L. Blancard, Massiliensium Annalium doctissimo diligentissimoque

custode. Nunc historia erit, quia materia præbetur.

Non in animo est Massiliensis commercii annales revolvere et explicare; deficerent animus facultasque. Satis erit si quid novi nec non inutile proferre potuerimus de illa ætate qua bella in Christi honorem gesta fuerunt, de illo commercio quod Massilienses cum eois populis, præcipue cum Syria, exercuerunt. De quibus, ut scimus, non unquam actum est. « Omissis illis tribus Italis civitatibus, inquit W. Heyd, quæ tanto studio laboraverunt ut crearentur amplificarenturque illæ coloniæ quæ Latinorum, cruce signatorum, ditionis fuerunt, primum ordinem tenuit Massilia civitas. Desiderandum est ut scriptor aliquis manifestius faciat quibus rationibus Massilienses illis coloniis auxiliati sunt, quo modo Massiliense commercium, durante Latino regno, creverit et adoleverit. » Quod opus perficiendum suscepimus.

Demonstrandum est primum Massilienses nostros eo commercio, quod olim cum eois gentibus exercebatur, non omnino unquam abstinuisse; incipientibus autem bellis, in honorem Christi susceptis, creato præcipue Latinorum regno, naves Massilia deductas frequentiores Syriæ Ægyptique littora petiisse. De militibus postea peregrinisque in Syriam transvehendis agetur; quibus rationibus iter factum fuerit, quis Massiliensibus cargatoribus quæstus evenerit, dicemus. Nec illas omittemus merces quæ Massilia in Syriam devehebantur aut a Syria Massiliam afferebantur. Videbimus denique quæ fuerint illæ coloniæ a Massiliensibus in Syria conditæ, non adeo quidem indignæ

quæ Italis coloniis conferantur si non de amplitudine saltem sed de civium fortitudine opibusque agitur.

Plurima fuere, nec unius generis, documenta, quibus adjuvantibus, opus nostrum perfectum est : chartæ in primis et pactiones eo tempore, de quo quæstio est, collatæ; historiæ rursus quæ nuper scriptæ sunt. Distinguere necesse est hinc chartas, quas a regibus principibusque Latinorum Massilienses, privilegiis quibusdam additis, acceperunt; illinc pactiones et acta quæ negotiatorum mores ususque referunt et a doctis quibusdam viris in corpus redacta fuerunt.

I. — CHARTARUM INDEX.

I. — Charta, anno MCXVII, a Balduino primo collata. — Licet Massiliensibus ut regionem suam, in urbe Hierosolyma concessam, certis finibus definiant, ne quis externus eam incolere nitatur. Licet etiam ut furnum peculiarem habeant.

II. — Charta, anno MCXXXVI, a Fulcone, Hierosolymæ rege, collata. Conceduntur nonnulla privilegia Massiliensibus.

Massiliæ civitatis Arch. Aa., 1. — Pars ejus chartæ apud Paponem invenitur. Cf. *Hist. Provinc.*, t. II, docum. nº XIV.

III. — Charta, anno MCLII, a Balduino tertio collata. Omnibus vectigalibus, quæ apud Acconem aliasque maritimas Latini regni urbes imposita sunt, immunes Massilienses fiunt.

Papo, *Hist. Prov.*, docum. nº XVIII. — Mery et Guindon, t. I, p. 183.

IV. — Charta, anno MCLXXXVII, a Conrado, Montis Ferrati marquisio, collata. Nonnullis urbibus, præcipue Massiliæ civitati, quædam conceduntur immunitates.

Mery et Guindon, t. I, p. 190.

V. — Charta, anno MCXC, a Guidone, octavo Hierosolymæ rege, collata. Licet Massiliensibus, ut velint, com-

mercium agere, omissis vectigalibus omnibus, præbiti auxilii gratia.

Papo, *Hist. Prov.*, t. II, n° XXV. — Mery et Guindon, t. I, p. 194.

VI. — Charta, anno MCXCVIII, ab Almarico, Latinorum et Cypri rege, collata. Massiliensium privilegia, olim concessa, confirmantur.

Mery et Guindon, t. I, p. 186. — Incaute affirmant illi auctores eam chartam anno MCLXXX concessam fuisse.

VII. — Charta, anno MCCXII, a Joanne, Briennæ comite, concessa. Confirmantur Massiliensium privilegia.

Ea charta nunquam integra edita est. — Massiliæ civitatis Arch. Aa., 14.

VIII. — Charta, anno MCCXXIII, a Roberto, Beruti dom., collata. Conceduntur Massiliensi Communi privilegia quædam.

Mery et Guindon, t. I, p. 287.

II. — LEGES ET ACTA IN QUIBUS DE COMMERCIO AGITUR A PLURIBUS SCRIPTORIBUS IN CORPUS REDACTA SUNT. NOTANDA SUNT IN PRIMIS :

Statuta de commercio Massiliensi (1228). — Apud Mery et Guindon, t. IV.

Statuta Massiliæ (1255). — Apud Mery et Guindon, t. IV. Est quoque peculiaris Massiliæ Statutorum editio, a Francisco Aquensi prolata.

Corpus legum maritimarum, ed. a Pardessus, in primis t. II (de Consulatu maris), 1831.

Pacta naulorum, ed. a Jal, in docum. ined. *Hist. Gall.* ed. a Champollion-Figeac, t. I, p. 507-615 (1845).

Documenta inedita de Massiliensi commercio, decimo tertio seculo, agentia, collata a Ludovico Blancard, Massiliensium Annalium custode, II vol. Massil., 1887-88. — Referuntur plurimæ navium locationes, comandæ, Mandoliorum inclitorum negotiatorum chartæ atque Almarici, Massiliensis notarii notulæ.

III. — OPERA DENIQUE SEQUUNTUR QUÆ NOS MASSILIENSE COMMERCIUM DOCENT SCILICET :

PAPO, *Historia Provinciæ*, II vol. (1786).

Ruffi, *Historia Massiliæ civitatis*, t. I (1696).

Mery et Guindon, *Historia Actorum Concilii Massiliensis*, VIII vol., 1841 et seq.

L. Blancard, *de Consule maris et de Consule super mare*. — Bibl. scol. Chartarum, IVa series, t. III, 1857, p. 427-438.

J. Julliany, *de Massiliensi commercio*, III vol., 1833.

A. Germain, *Hist. commercii Montis Pessulani*, II vol., 1861.

Depping, *Hist. commercii cum eois gentibus, medio ævo, habito*, II vol., 1830.

W. Heyd, *Hist. commercii cum eois gentibus, medio ævo, habito*; edit. gallica a F. Raynaud redacta, II vol., 1885-86.

H. Pigeonneau, *Hist. Gallici commercii*, t. I, 1885.

E. Rey, *de Coloniis a Francis in Syria constitutis*, 1883.

INTRODUCTIO

DE MASSILIÆ CIVITATIS, CIRCA DUODECIMUM POST CHRISTUM SECULUM, PUBLICO STATU ET COMMERCIO

Antiquos Massiliæ civitatis annales revolvere si cuidam historiarum scriptori unquam libuerit, eximium quidem et singulari studio dignum videbitur illud breve temporis spatium quod a duodecimo vergente ad finem seculo usque ad medios posterioris seculi annos producitur. Ea enim ætate, Massilia civitas, dubia hactenus et incauta libertate potita, comitum vice-comitumque suorum imperium jam respuit et aspernatur, pristinum rei publicæ statum magis ac magis desiderat, et antiquam formam libertatis tandem assequitur. Eodem etiam tempore, Massilienses negotiatores, qui commercio nunquam abstinuerant et cum omnibus fere gentibus, quæ Interioris maris oras incolebant, societatem a longo tempore inierant, ad inquirendas orientales partes novo et inaudito impetu feruntur. Syriam enim, olim a Christiani nominis inimicis occupatam, nunc Franci, id est Christianæ religionis patroni, obtinent. Patet, ut ita dicam, nova Christianorum patria, in qua et ad majorem Dei gloriam dimicare et commercium simul agere licet. Con-

veniunt igitur in eoas partes frequentissimi Massilienses, qui pietati simul atque lucri amori semper indulgeant. Eorum virtus et constantia in dimicando, consilium et prudentia in negotiando, solertia in augendis rebus suis, iterum iterumque celebrantur. Ad pristinam speciem, industria vigente et opibus auctis, Massilia civitas revocatur. Brevior, autem, et, si res peragitur, verum incerta fortuna! Brevior, novo jam appropinquante periculo, mora! Mox irruunt in Syriam Sarraceni; debellantur Franci reges qui Syriam occupaverant; præcluditur igitur perennis ille fons divitiarum, orientales dico partes. Irruit etiam in Provinciam Carolus, Andegaviæ dux, et, victis Massiliensibus civibus, omnibusque provinciæ defensoribus, libertas fere tota evanescit.

Non in animo est totius illius ætatis, qua Massiliense commercium adeo floruerit, annales revolvere, nec ipsius commercii historiam integram referre. De commercio cum eois gentibus pacto tantum agitur. Liceat tamen ut Massiliensium fortunam et habitus facilius cognoscere possis, paucissimis verbis exponere quis fuerit, duodecimum circa post Christum seculum, Massiliæ civitatis publicus status, quo usque Massiliense commercium processerit, quas oras naves nostræ appellere solitæ sint, quo denique modo Massiliæ fortuna creverit, dum vice-comitis potestas minueretur et imperium.

Ea fuit Massiliæ civitatis sors et singularis fortuna, ut fere nunquam cum aliis Galliæ civitatibus specie moribusque consentiret, sed communes vicissitudines effugeret sæpiusque rerum suarum ordinem peculia-

riter sequeretur. Gallia dum manet inculta et inhospita, perpolito contra habitu mitiorique cultu Massilia fulget; vigente imperio romano, græcos mores et linguam servat assidue. Irrumpente postea Germana barbarie, minuitur quidem sed non evertitur illa præclara rerum species; et, labantibus ceteris urbibus, Massilia amissam dignitatem jam nunc recuperare nititur. Ab aliis civitatibus nihil mutuatur; suis ipsius viribus stat atque resurgit; nullo frangitur periculo aut labore. Ad Lutetiæ instar, « fluctuat nec mergitur ». Urgentibus etiam rebus, omne extraneum præsidium despicit; patrocinium quodcumque fastidit et odit. Nunc etiam quum omnes animi et studia ad illud Galliæ caput, Lutetiam, vertuntur, nescio quid pristinæ libertatis ac ferocitatis Massilia redolet.

Floruit præcipue illud privatarum rerum studium communisque illa imperii invidia eo tempore, quod medium ævum vocamus, dum, labente potestate regum qui Carolenses appellati sunt, regio unaquæque a vicinis regionibus separata, civitatis cujusdam ab aliis diversæ speciem præbuit, regnante principe quodam qui eam, feodi nomine, obtinuerat. Reges autem illi Francorum qui a Clovisio vel a Carolo magno regnum acceperunt, nunquam re ipsa Massiliam civitatem obtinuerunt nec illi imperaverunt. Defuncto enim Ludovico, qui Balbus appellatus est, Boso comes regia dignitate decoratus est. Quinquaginta fere annis post, incepit Provinciæ comitum series. Quæ quidem eximiæ fortunæ et, ut ita dicam, vitæ novæ, fuit principium et fons. Antequam e somno surgerent et renovarentur illæ Italiæ vel Germaniæ civitates quas mu-

nicipia vocamus et sua fortuna opibusque Massiliam ipsam longe superaverunt, nostra civitas opibus suis, libertate et industria sua illustrata est, atque illo præcipue studio, illa prudentia, quibus adjuvantibus, dominorum suorum potestatem minuere et tandem frangere valuerit, acceptis illis adeo illustribus privilegiis quibus steterit Massiliæ fortuna.

Provinciam regebat comes, Massiliam civitatem, vice-comes; sed comiti vice-comes non ita obnoxius. Principatum obtinebat comes; sed reipsa vice-comiti imperium contigerat. Hoc unum erat vice-comitis munus : comiti debitam militiam præstare; ceterum vice-comitis pœne regia potestas erat. Sese « Dei gratia vice-comitem » esse dictitabat. Ejus sigilla, quæ plurima servata sunt, vice-comitem manifestant equo sedentem, gravi instructum armatura. Nec adeo incliti et ad bellandum feroces fuisse videntur Massiliæ vice-comites. Excepto illo Aycardo, Gaufridi vice-comitis nepoti, qui adversus Sarracenos fortiter dimicavit, nullus, credo, vice-comes, undecimo certe sæculo, militari fama enotuit. Plerique, contra, pietati libentius indulgentes, atque incauta sæpius munificentia acti, monasteria plurima, sancti Victoris in primis et Montis Majoris, labentibus etiam opibus suis, ingenti cum liberalitate ornaverunt.

At illæ largitiones, iterum iterumque renovatæ, vice-comitatus facultates exhauserunt, et, quod sequitur, vice-comitum potestatem resciderunt. Sed eo citius dispersa est et plane dissipata vice-comitalis potentia, quo vice-comes unusquisque sua munera inter suos heredes majore studio partiri solitus est;

quæ quidem munera, infinita illa partitione divisa, in pulverem, ut ita dicam, evanuerunt, aut facillime a Massiliensibus civibus empta sunt. Quod quidem, quo modo evenerit, planius explicare necesse est.

Meminissemus primum Massiliæ vice-comites, qui plurima castella vicosque extra urbem sita possidebant, urbe, contra, integra nunquam potitos esse. Tres enim civitates in una urbe Massilia fuerunt : abbatialis primum regio, cui præerat Sancti Victoris prior, adjunctis canonicis ejus ; episcopalis deinde, quæ superior urbs vocabatur et a Massiliensibus episcopis jus suum accipiebat ; vice-comitalis denique quam inferiorem urbem sive *universitatem* appellabant et quæ a suis ipsius magistratibus, dominante vice-comite, regebatur.

Ea Massiliæ urbis regio quæ Sancto Victori contigerat, castellis tantum vicisque quibusdam constabat, quæ a veteris portus littore usque ad Sancti Michaelis campum pertinebant. Nec adeo frequentes regionis hujus incolæ. Episcoporum vero dominium totam illam superiorem urbem amplectebatur quæ a Gallica porta usque ad Sancti Johannis hospitium patebat. Possidebat idem episcopus illum amplississum portum, Gallicum olim, nunc Juliettæ vocatum. Piscatores innumeri superiorem urbem incolebant. Quam quidem, si singulas res explicare voluerimus, ita partiri licebit, ut duas regiones, habita juris jurisdictionisque ratione, distinguere possimus : *Villam* scilicet *episcopalem Turrium*, ut aiebant, quæ episcopalis ditionis erat ; *villam* rursus *præpositurae* cui jus dicebat canonicorum præses ; sed a canonico judice ad episcopum vel ad episcopalem judicem vocare licebat.

Attamen vice-comitalis civitas longe præstabat; cui quidem nec abbatialem nec episcopalem urbem conferre possumus. Excipiamus, si licet, illos vicos extra urbis muros sitos, qui ad rem nostram non pertinent; de interiore urbe tantum agamus; ingentem Massiliæ partem vice-comites obtinuerant : occupabant enim eam regionem quæ a vetere portu usque ad episcopalem Turrium urbem patebat. Sed incipiente jam decimo tertio seculo, sub dominatione unius vice-comitis non erat urbs vice-comitalis. Divisa enim fuerat inter plures vice-comites, defuncto patre familias; unde multæ brevi controversiæ, multa certamina exorta sunt. Quid plura? Vice-comites, sive bello sive pietati indulgerent, ad inopiam fere delapsi, pristinorum vice-comitum speciem tantum effingebant : unde illud ridiculum cognomen quod Massilienses, libente animo semper dominis suis irridentes, imponebant, non reges eos, sed regulos esse affirmantes.

Maxime gaudebant vice-comites innumeris illis turribus quibus horrebat, ut ita dicam, Massilia. Eorum unusquisque turrim propriam habere voluerat : unde illud urbis turrium cognomen, Massiliæ impositum. Inanis quidem gloria! Dominium ipsum vectigalibus tantum et tributis constabat quæ, auctis semper impensis, idoneam materiam egentibus principibus præbere jam non valuerunt. Dominorum suorum necessitatibus non defuit Massiliensis universitas (id est universus negotiatorum civiumque populus) quæ opibus suis adeo illustris erat, ut omnes civitates ei inviderent. Nec tamen omissus est quæstus. Pecuniam commissam reddere vice-comites sæpe non

potuerunt : vectigalia concesserunt quæ jam non comitali fisco, sed Massiliensi universitate exigerentur. Itaque divitias simul atque divitiarum fontem vice-comites perdiderunt. Vice-comitum Massiliensisque, contra, universitatis, fœdera simul agentium, rationem inspicere libet? adolescentes diceres quosdam, a nobili et locuplete patre natos, sed luxuriosos et patrimonii consumptores : a fœneratore pecuniam, non sive magna usura accipiunt. Hic semper pecuniam committit; illi bona sua, pignoris gratia, committunt. Jam patrimonium suum adolescentes amiserunt : fœnerator autem obtinuit.

Exemplisne uti necesse est? Roncelinum illum proferemus, inclita quidem virtute illustrem, sed ære alieno obrutum, qui, Sancti Benedicti regulam assecutus, ad Sancti Victoris Massiliense monasterium venit, sed a creditoribus, assentiente ipso pontifice maximo, revocatus est. Idem Roncelinus Massiliensis portus partem, quam obtinuerat, Guillelmo Anselmo cuidam, acceptis mille libris regalium coronatorum, vendidit; quam quidem ab Anselmo civitatis Rectores emerunt[1]. Anno sequente, Gaufridus Raimundus ejusque filii Gaufridus Reforciatus Burgundioque, acceptis trecentis libris regalium coronatorum, Rectoribus Massiliæ civitatis « pro tota universitate communitatis Massiliæ recipientibus et stipulantibus », tradiderunt tertiam partem « totius octavæ dominii, sennoriæ et jurisdictionis Massiliæ cum censibus et omnibus pertinentibus in portu, aquis, terra, pascuis nemoribus-

1. Cf. Mery et Guindon, *Hist. comm. Massiliæ*, t. I, p. 127, anno MCCXII.

que[1]. » Iidem vice-comites, tertio anno post, quidquid jam non amiserant, rursus pro CXLIII millibus solidorum regalium coronatorum universitati vendiderunt scilicet « octavam suam dominii et quidquid per indivisum etiam servaverant, id est justitias, jurisdictionem civilem criminalemque, census, lesdas et cetera omnia[2] ».

Inemptæ tamen permanebant duæ Massiliensis dominii partes, quæ Hugoni de Balcio et Geraudo Adhemari contigerant. Sed Hugo de Balcio, ære alieno obrutus, a Massiliæ universitate pecuniam acceperat; quam cum solvere nequivisset, « dominii et sennoriæ » partem quam habuerat, tradidit[3]. Geraudus, ab uxore sua incitatus, primum non eadem facilitate usus est; nulla, contra, accepta pecunia, Massiliensium precibus, etiam vehementibus, resistebat. Aliam tunc rationem Massilienses secuti sunt; ex urbe Geraudum ejusque uxorem expulerunt; quibus tandem placuit, pro quinque millibus solidorum regalium coronatorum, adjunctis centum libris annuis, vice-comitatus sui particulas amittere[4]. Aliquot annis post, Massiliæ libertatem et jus novum confirmare non recusavit « Raimundus Berengarius, Dei gratia comes et marchio Provinciæ, comesque Forcalquerii, ut posset uti universitas Massiliæ plenarie, jurisdictione sua et libere, pout domini quon-

1. Mery et Guindon, *Hist. comm. Massiliæ*, t. I, p. 231, anno MCCXIII.

2. *Ibid.*, t. I, p. 250, anno MCCXVI. — Rectores civitatis nomina sive solvenda credita etiam emerunt (*ibid.*, p. 292) extraneaque dominia (*ibid.*, p. 323).

3. *Ibid.*, t. I, p. 294, annis MCCXXV et MCCXXVI; p. 396, anno MCCXIX.

4. *Ibid.*, p. 133.

dam Massiliæ villæ vice-comitalis, possintque Massilienses habere rectores, potestates et consules seu omnes officiales suos per suam electionem [1]. » Poterant nunc Rectores Massiliæ, cum alia civitate, sicut reges, tractantes, ea non adeo superbe præfari : « Civitatis nostræ libertatem sumus consecuti et rem publicam nostram decoravimus; ejusdem civitatis juri et commodo magnum dedimus incrementum; per Christum civitatis nostræ pacem conservamus, et conservabimus in futurum, *Deo ipso nostram gubernante solo civitatem Massiliæ* [2]. »

De Massiliensis Reipublicæ regimine multa dicere minime necessarium nobis videtur, quia bene notum est nostram civitatem, libertatem suam assecutam, res suas ipsam gerere solitam esse. Hoc tantum in memoria teneamus, antequam frangeretur vice-comitum potestas et imperium, magistratus quosdam fuisse, inter optimos Massiliæ cives electos, qui res omnes quæ ad commercii vel civitatis ipsius utilitatem pertinerent, sub vice-comitis auctoritate, tractarent. Concilium erat commune, sive generale, quod civitatem regebat; rectores erant, postea syndici et clavarii, qui concilii jussa efficiebant et variis fungebantur muneribus. Incipiente autem decimo tertio seculo, postquam vice-comites dominium suum amiserunt, et ad antiquam libertatem rediit Massilia, *Potestas* fuit quidam quem cives Massilienses eligebant et ab externa gente deducebant, ne civium varias partes unquam sequeretur at, contra, suum cuique redderet. Sed minimo tempo-

1. Mery et Guindon, *Hist. comm. Massiliæ*, p. 435, anno MCCXLIII.
2. *Ibid.*, p. 271, fœdus cum Nicæa civitate, anno MCCXIX.

ris spatio stetit is rerum publicarum ordo, qui, antequam Carolus, Andegaviæ dux, Provinciam obtinuit, cessaverat. Apud illa Massiliæ civitatis statuta, adeo illustria, quæ anno fere millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto in ordinem redacta sunt, sed priscam civitatis speciem repræsentare videntur, explicatam invenies Massiliensis Reipublicæ formam et habitum. Universitatis aut communitatis nomine decorabatur universa Massiliensium civium multitudo, seu nobilitate et antiquitate fulgerent, seu commercio indulgerent aut burgensium tantum sequerentur conditionem. Cives universi nonnunquam, si res urgerent graviores, in vetere Accuarum sepulchreto congregabantur. Concilium autem commune, quod penes summum erat imperium, singulari, sed ad labefactandos ambitum inhonestosque conatus mirabiliter apto, suffragii genere, quotannis, tertia ante festum omnium sanctorum die, creabatur. Octogeni et tres erant conciliarii, scilicet octoginta burgenses, mercatores aut negotiatores, tres rursus jureperiti; qui omnes inter idoneos maxime et sapientissimos urbis inferioris cives eligebantur. Addebantur sex homines probi quos « capitula ministeriorum » appellabant, et qui unaquaque hebdomade, in concilium commune coïbant; unde septimanarii vocabantur. Eadem ratione Rectores aut Consules, quorum numerum non eumdem semper fuisse invenimus, et clavarii, qui chartas servare aut civitatis lites curare debebant, in annum creabantur [1].

1. Cf. *Statuta Massiliæ*, lib. I, cap. VIII, IX, X, XI, XII.

Inde manifestum est Massilienses sive libertatem assequerentur, sive rem gererent publicam, commercii utilitatibus primum consuluisse. Redempta sunt enim brevi illa vectigalia, quibus merces transvehendæ aut mutuandæ onerabantur; mercatoribus, commercio maxime indulgentibus, ut decet, civitatis regimen contigit. Non igitur mirandum est, si eo tempore Massiliense commercium maxime floruerit.

Si enim licet expendere quibus rationibus Massiliæ civitatis Rectores, libertate tandem impetrata, sese cum aliis civitatibus, seu vicinis, seu longe etiam remotis, gerere soliti sint, eos videbimus commercii primum in animo habuisse necessitates. Discordias sedare, contentionis causas tollere semper conati sunt. Ne quid detrimenti mercatoribus nostris, sive vicinas, sive longinquas regiones incolerent, veniret, maximo studio attenderunt. Fœdera multa pactionesque fecerunt ut naves Massilienses servarentur, custodirentur defenderenturque. Plurima enim invenimus pacta fuisse fœdera, decimo tertio incipiente seculo. Exemplisne utemur? Proferre licet, ne longinquas regiones spectemus, Arelate, Avenionem, Castrum Arearum quæ « pacem, concordiam, societatem, fraternitatem, amorem denique cum Massilia servare et amplificare », ut aiunt fœdera, non dedignata sunt. Sed magis necessarium erat fide bona jungi illis cum civitatibus, in Hispania vel in Italia sitis, quæ multas merces a negotiatoribus nostris accipiebant. Earum civitatum amicitia quæstum ingentem, invidia autem magnum detrimentum Massiliensium rebus afferre potuisset. Unde illa cum Caieta, Pisa, Nicæa Ampuriisque fœdera, quæ

veteres Massiliensium historiarum scriptores magno cum studio retulerunt. Anno millesimo ducentesimo octavo, Caietani consules, « cum voluntate et consilio judicum et consiliatorum civitatis suæ et totius universitatis Caietæ, bona fide et sine ulla fraude faciunt et statuunt firmam pacem et concordiam cum domino Roncelino, vice-comite Massiliæ et cum toto ejusdem civitatis populo, ut omnes Massiliæ cives et homines totius districtus ejus, naves, galeas et alia ligna universa venire possent in mari et in terra in civitate Caietæ et extra, eundo, stando et redeundo, jurantes sese eos salvaturos defensurosque fore ab omni persona et personis per omne posse suo et posse civium Caietæ ». « — Si vero, addunt Caietani consules, naves nostræ et galeæ, aut alia vasa nostra euntia negotiando, incursu alicubi inveniant naves et galeas aut alia ligna civium vestrorum sive in portu, sive extra portum, sive in pelago maris, bona fide promittimus illa salvare, defendere, custodire diligenter et honorate tam in rebus quam in personis tanquam per omnes cives nostros Caietæ in omnibus locis [1]. » Eadem asserit, duobus annis post, majore etiam studio amplioribusque verbis pro communi Pisano et civitate Pisana, Gottefredus, vice-comes et potestatus Pisanorum, qui « firmam, inquit, et veram pacem tenebimus cum omnibus hominibus Massiliæ civitatis eos omnes salvabimus et defendemus in personis et rebus, terra mari et aqua sanos et naufragos eundo, stando et redeundo in civitate Pisana et ejusdem

1. Mery et Guindon, t. I, p. 215, anno MCCVIII.

portu et districtu tam contra amicos quam contra inimicos et contra omnem personam [1]. » Cum Ampuriis conjunctior etiam fuit amicitia; ad res certas pertinet fœdus. Hugoni, Ampuriarum comiti, ejusque civibus conceditur « ut unam navem in portu Massiliæ habeant eamque onerare possint peregrinis causa eundi ultra mare quoties voluerint vel in aliud navigium mittere [2] ». Massiliensibus licet, rursus, merctoribus frumentum, quoties quantumque voluerint, Ampuriis extrahere.

Massiliense commercium Interius mare ab Hispano littore usque ad Ægyptum jam amplectebatur. Italiam Hispaniamque, non omissis certe Sicilia Sardiniaque et Maiorca etiam insula, frequentissimæ naves nostræ petebant. Si urbes et portus discere velles, qui majorem acciperent mercatorum nostrorum merciumque copiam, illas Italicas fere omnes civitates Siciliensesque, in primis Genuam, Pisam, Finale, Siennam, Neapolim, Messanamque proferre liceret. Addemus Hispanas urbes, Valentiam scilicet et illam præcipue celeberrimam Barcelonam in quam convenire solebant jam inde antiquitus Gallici mercatores. Sed longe præstabant (nam de commercio gallico tantum agitur) illæ Africanæ civitates quæ ad Gallicum littus spectare et ad nostrum, ut ita dicam, imperium sese offerre, videntur, Ceuta videlicet, Oranum, Tlemcen, Bugia Tunisiumque. Quas inter principatum sine ullo dubio obtinebant Ceuta et Bugia. Si Mandoliorum, Massiliensium negotiatorum, chartas, quæ nobis pervenerunt,

1. Mery et Guindon, t. I, p. 219, anno MCCX.
2. Papo, *Hist. Provinc.*, t. II, docum. XLI, anno 1219.

revolvimus, innumeras invenimus, ut aiunt, « comandas » quæ ad Ceutam Bugiamque pertinent. Colonias Massilienses in eas civitates deductas consulesque creatos fuisse affirmare possumus. Naves quæ Italicas vel Hispanicas urbes petebant, xylon, setem, telaque et ingentem vini copiam afferebant; corallum referebant, quod ex Africanis oris extrahebatur. Adeo florebat Massiliæ commercium et, ut ita dicam, imperium, ut littus Africanum, ad Galliam versum, a Gallia dominos vitamque semper accipere debuisse videatur.

Massilienses tamen mercatores, quamvis extraneas regiones libente animo peterent, Galliam ipsam non omittebant. Plurimæ erant civitates quæ a Massiliensibus mercatoribus innumeras merces accipiebant vel merces suas Massiliensibus ministrabant, videlicet Avenio, Nemausus, Mons Pessulanus, Narbo Martius, Carcassonna et aliæ urbes quæ ad mare Interius spectant. E Gallia tota Massiliam conveniebant innumeri mercatores, suas merces ibi vendere, aut fructus ab oriente traductos emere, soliti. Sed longius extendebatur Massiliensium industria. Si liceret de Sancti Landiti aut de Campaniæ nundinis amplius disserere, Provinum aut Bar aut in Tricassium civitatem confluere videres Massilienses mercatores; videres etiam confluere merces eas quas Massiliensium naves ab orientalibus partibus Massiliam afferebant, aromata in primis Arabica. Sed de his rebus postea loquemur. Satis sit id jam manifestum fieri, bella adversus Sarracenos suscepta Massiliense commercium auxisse, non, autem genuisse. Quibus bellis inceptis, Massiliensium opes et fortuna certe in majus prolatæ sunt. Nova

fuit nostri commercii, ut ita dicam, sedes et domicilium, ubi domitæ fuerunt et a Latinis principibus occupatæ Syria Palestinaque. Sed antequam surrexisset bellum, Massilienses naves totum Interius mare lustrabant et orientales ipsas partes noverant. Quod manifestius, sequenti capite, facere licebit.

CAPUT PRIMUM

COMMERCIUM, QUOD MASSILIA CUM EOIS POPULIS AB INCIPIENTE DUODECIMO SECULO USQUE AD DECIMI TERTII SECULI FINEM, HABUERIT, IN UNIVERSUM CONSIDERATUR

Massilia civitas, quæ ab eois gentibus originem suam habuerat, nunquam abstinuit quin cum Græcia Asiaque Minore et Ægypto societatem iniret. Quod quidem, si ea tempora quibus Græcum vel Carthaginiense imperium floruït aut eam tantum ætatem qua pax romana viguit et totum fere orbem amplexa est, repeteremus, facillime demonstrari posset. Explicare satis erit, ut propositum teneamus, Massilienses mercatores, regnantibus in Gallia Francorum regibus, etiamsi Arabes in Asia et Africa dominarent, eoa littora non omnino unquam omisisse, nec mercibus, quas solæ ministrant India Asiaque interior, privatos unquam fuisse.

In memoriam primum revocemus nonnullos semper homines fuisse qui, pietate sua et Christianæ religionis studio acti, seu votum aliquod explere, seu sacra limina tantum invisere destinarent, in Massiliæ portu, Syriam petituri, naves conscenderent, Massiliamque reduces appellerent. Illi, rursus, qui Byzantini regni fines incolebant, si forte ad nostras regiones iter

facere cogerentur, adeuntes Massiliæ portum petebant, petebant etiam redeuntes, inde maritimum iter secuturi. Quid plura? Ostium quoddam, ut ita dicam, quo ab Oriente ad Occidentem, ab Occidente rursus ad Orientem via patuerit, Massilia semper fuit. Exempla proferre necesse est? Gondovaldus ille famosus, qui sese Chlotarii filium esse asserebat, ab urbe Constantinopoli redux, ut ait Gregorius Turonensis, Massiliam advectus est [1]. Nec Massiliæ desiderium illis defuit Chilperici regis legatis, qui ad invisendum Tiberium imperatorem missi fuerant et, regressi, portum nostrum adire voluerunt, nec tamen, flagrantibus discordiis belloque, ausi sunt [2]. Merces etiam, ab eois partibus allatæ, in urbem Massiliam portabantur [3]. Gregorius enim idem, Turonum episcopus, qui prædicti commercii tot exempla retulit, vinum Gazetinum a Gallis maximo cum studio petitum fuisse ingentemque Ægyptiaci papyri [4] copiam a Massiliensibus mercatoribus acceptam esse, affirmat. Nec illum omittere licet reclausum, Hospitium appellatum qui, cilicio indutus, catenis ferreis ad nudum corpus constrictus, nihil aliud quam purum panem cum paucis dactalis comedebat. In diebus autem quadragesimæ, radicibus tantum Ægyptiacarum herbarum, a negotiatoribus allatarum, eremitarum more, alebatur [5]. Inde concludere est

1. Gregorii Turonensis episcopi *Hist. Franc.*, lib. VI, cap. XXIV.
2. *Ibid.*, lib. VI, cap. II.
3. *Ibid.*, lib. VII, cap. XXIX.
4. *Ibid.*, lib. V, cap. V : « O si te habuisset Massilia sacerdotem; Nunquam naves oleum aut reliquas species attulissent, nisi cartam tuam, quo majorem opportunitatem scribendi ad bonos infamandos haberes. Sed paupertas cartæ finem imponit verbositati. »
5. *Ibid.*, lib. VI, cap. VI.

eo tempore ad nostras oras Ægypti fructus jam allatos fuisse.

Ceterum perspicuum id nobis videtur esse, scilicet gentes quæ Interioris maris littora colebant, iis semper usas fuisse aromatibus quæ ab India afferuntur. Cui commercio, concedo equidem, nonnunquam, Arabum incursiones obstiterunt. Sed brevi, favente pace, quum latius extenderentur mitiores illi mores elegantioresque habitus, quorum exempla Arabes ipsi dederant, veteres resurrexere consuetudines. Magis ac magis auctum est commercium ubi, debellatis Persis, totam interiorem Asiam Arabes occupaverunt. Commercii stationes celeberrimæ eo tempore fuerunt, Damascus et Bagdad in primis, et omnes illæ urbes in quas Asiæ interioris Indiæque et Arabiæ proventus confluxerunt. Antiochia ipsa et Alep novum decus adepta sunt. Incipiente tandem nono post Christum seculo, nova et amplior inter Græcos et Sarracenos intercessit amicitia. Galliæ partes, quæ ad meridiem vertuntur, eodem motu actæ, resurrexerunt. Defuere quidem Gazæ Sareptæque vina, olim a Massiliensibus accepta, quia vites Mahometanæ religionis quidam, nimium certe studiosi, assectatores, avulserant; sed ad Rhodani fluvii oras aromata varia et condimenta convenere. Corbiense monasterium, si Chilperici regis diplomati cuidam fides adhibere fas est, a Fossi vectigalibus tributum annuum accipiebat quod, piperis, casiæ, nardi, palmarum pomorum papyrique Ægyptiaci copia quadam consistebat. Nec adeo rari illi fructus, quia Missi dominici, qui, munus adepti quoddam, iter per Gallias faciebant, eorum copiam quam-

dam exigere poterant. Ea tota ætate qua Carolenses reges imperium obtinuerunt, iisdem præmiis non solum viri nobiles, episcopi aut abbates, usi sunt, sed etiam maxima pars hominum; attamen cibo vinoque et medicamentis etiam miscebantur ut vi ingentiore valerent.

Asiæ autem præmia quo modo emerentur et in Galliam traducerentur planius explicare difficile est. Ea accipiebat certe Alexandria, Ægypti caput et Asiæ Africæque, ut ita dicam, umbilicus. Afferebant Indici mercatores; deinde alii negotiatores emebant et in extraneas partes traducebant : qui autem utrum Gallici an Italici tantum fuerint, dubium est. Attamen Gallici mercatores Syriam Ægyptumque nonnunquam petiisse videntur. Syri rursus et Ægypti quidam Galliam incolebant. Refert Gregorius Turonensis Euphronem quemdam « Syrum negotiatorem Sancti Sergii relliquias Burdigala attulisse »[1]. Argentorati habitabant nonnulli Syri qui Gontranum regem intrantem, diversis laudibus, lingua sua usi, acceperunt[2].

Syriam incolebant plures Christiani religionis alumni, nonnulli forte Galli quorum saluti simul atque conservandis Christi templis reges nostri consuluerunt. Asserit enim Eginhard « Carolum transmarinorum regum amicitiam expetiisse, ea in primis ratione, ut Christianis sub eorum dominatione viventibus refrigerium aliquod et relevatio perveniret ». Addit capitulum quoddam Caroli Magni « Hierosolymam mittendam esse eleemosynam quamdam prope ecclesias Dei

1. Gregorii Turonensis episcopi *Hist. Franc.*, lib. VII. cap. XXXI.
2. *Ibid.*, lib. VII, cap. I.

restaurandas ». Nec commercium omittitur mercatorumve utilitates. Refert enim monacus quidam, qui Bernardus vocabatur, quum Hierosolymam, pietatis causa, petiisset, in ea urbe « forum invenisse pro quo unusquique ibi negotians in anno solveret duos aureos illi qui illud provideret » [1].

Nec dubium est innumeram multitudinem, a diversissimis regionibus deductam, peregrinorum more, sacra limina petiisse. Advenis non obstabant Sarraceni; favebant contra. Peregrini autem, annuentibus regibus, adeo frequentes fuere ut gens unaquæque hospitium suum peculiare habere voluerit quod cives accipere possit. Carolus Magnus illud hospitium ædificari jussit quod Sanctæ Mariæ Latinæ vocatum est. Ait enim ille Bernardus supradictus : « Ibi habetur hospitale in quo suscipiuntur omnes qui causa devotionis illum adeunt locum, lingua loquentes latina; cui adjacet ecclesia in honore Sanctæ Mariæ, nobilissimam habens bibliothecam studio Imperatoris Caroli Magni [2] ».

Sed, ut ad propositum regrediamur, discernere difficile est utrum plures Massilienses Syriam petierint incolerentve, an nulli. Frequentiores, quidem, peregrini quam mercatores fuerunt; nec magni momenti fuisse videtur commercium, quod Massilienses cum eois partibus, omissa Alexandria, exercuerunt, eo ipso tempore quo Carolus Magnus noster Hierosolymæ urbis Sanctorumque Liminum patronus declaratus est. A nostris oris, flagrante bello, Syria Asiaque separabantur.

1. W. Heyd, *Hist. comm.*, t. I, p. 88.
2. *Ibid.*, p. 90.

Alexandria autem, inter duo maria sita, nec longe ab Asia, aut ab Europa ipsa, remota, receptaculum maxime idoneum præbuit ad accipiendas merces quæ ab utraque orbis parte venirent. Minime igitur mirandum est si semper floruerit Alexandria, nec si eam urbem suæ ditionis facere voluerint omnes illi reges qui, quamvis cruce signarentur et Christo inservire tantum destinarent, attamen commercium gentiumque suarum utilitates non omnino unquam omittebant.

Ubi, contra, constitutum est regnum Latinum, Europæani mercatores in Syriam confluere soliti sunt. Gallici principes illique viri nobiles, qui reges comitati sunt, dum Syriam coluerunt, eas res expetierunt quibus uti soliti erant, quas autem in novo regno reperire non poterant. Europæ, autem, incolæ, qui orientalibus mercibus non omnino unquam abstinuerant, eas nunc majore studio eo expetebant quo facilius eas obtinere poterant. Adde etiam innumeros milites et peregrinos quum Europam repetierunt, Syriacos usus moresque secum retulisse. Mutuabantur igitur mercatores ingentem earum rerum, quas ferunt eoæ partes, copiam. Nec mirum videtur commercium nostrum protinus floruisse et magis ac magis, vigente Latinorum imperio, auctum fuisse.

Quin etiam, Latini reges negotiatores undique in regnum suum vocaverunt eisque faverunt, innumeris privilegiis facultatibusque concessis. Nec non miranda prudentia. Aucto commercio, augebantur opes regiæ, et quo amplior negotiatorum quæstus, eo ampliores regum divitiæ erant. Nec utilitati tantum, collatis

immunitatibus, consulebant reges; beneficiorum memoria agebantur. A civitatibus enim pluribus milites, naves, pecuniam acceperant; cujus auxilii gratia, privilegia concedebant. Nec non alia unquam fuit immunitatum concessarum ratio. Eas chartas, regum principumve sigillo notatas, quæ ad nos usque pervenerunt, nonnunquam exigere valuerunt illæ ipsæ gentes civitatesque quæ milites suos, naves, pecuniam præbuerant ad acquirendam servandamque Sanctam Terram, aut juvamen aliquod eximium, urgentibus rebus, latinis regibus præstiterant. Earum gentium civitatumque viribus stabant reges; quibus deficientibus, regnum brevi cecidisset. Earum igitur immunitates, privilegia, terrarum possessiones, potentia, et quod sequitur, ambitus et superbia, ita creverunt ut plurimæ in una urbe civitates, plures in uno regno reguli esse viderentur. Sed de illis in capite sexto amplius disseremus.

Massilia civitas, regibus principibusque cruce signatis et Sanctum Hierosolymæ acquirendum aut conservandum regnum aggressis, egregium sæpissime auxilium juvamenque « in rebus et in personis, per mare et terram », ut aiunt chartæ, præstiterant. Testantur præcipue, ut exemplis utamur, Fulco ille, Andegaviæ dux, Latinorum rex quartus, qui Balduini quum filiam in matrimonium duxisset, anno MCXXXI, regnum adeptus est; Balduinus iterum, tertius nomine, qui Massiliensium opibus in Joppe et Ascalone obsidendis usus est; Conradus, Montisferrati comes, qui Tyrum obsessam tanta fortitudine sustinuit; Guido Lusignanus denique et Almericus atque omnes fere

principes qui Latinum regnum obtinuerunt [1]. Acceperunt igitur Massilienses immunitates solitas, scilicet libertatem intrandi et exeundi, vendendi et emendi, omisso vectigali ullo. Quam « franchesiam », ut aiunt chartæ, omnes Latini reges confirmaverunt. Prior Fulco ejusque uxor Melisende Massiliensibus donaverunt « in perpetuum pro redemptione animarum suarum et heredum suorum, pro juvamine et consilio quæ præstiterant Massilienses, franchesiam per totam terram Jerusalem et totum regnum [2] ». Guido invicem Lusignanus, ut Balduinum tertium nomine omittamus, Fulconis chartam confirmavit « attendens fidelitati et servitiis quæ sibi et toti Christianitati in obsidione Acconensi exhibuerant Massilienses, tam in personis quam in rebus [3] ». Libertas concedebatur « Communi Massiliæ et universis Massiliensibus intrandi et exeundi tam per mare quam per terram cum universis rebus suis in Accon et in universis locis regni Latini, ut per hæc omnia loca liceret libere intrare, exire, commorari, negotiari cum magnis navibus, lignis parvis de riberia per mare et terram cum universis rebus suis sine ulla directura aut anchoragio absque omni exactione ». Addit etiam charta : « Si frumentum extrahere fuit interdictum, si dono quolibet aliquis extraherit, vobis (id est, Massiliensibus) similiter extrahere liceat libere universis. Habeatis etiam potestatem naves vestras

1. Cf. chartam Fulconis (anno 1136), apud Paponis *Hist. Prov.*, t. II, docum. n° XIV. Cf. etiam chartas a Guidone Lusignano (anno 1190), a Conrado, Montisferrati comite (anno 1187), a Balduino tertio (anno 1152), ab Almerico etiam (anno 1198) concessas. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 194, 190, 183.

2. Apud Paponis *Hist. Prov.*, t. II, docum. n° XIV.

3. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 183.

faciendi, reficiendi, destruendi, conducendi quibus vobis placuerit sine ulla directura in omnibus locis supradictis [1] ». Quas immunitates omnes Latini reges iterum iterumque confirmaverunt, præcipue Almericus, rex Latinorum et Cypri, anno MCXCVIII [2], et Johannes, Briennæ comes, anno MCCXII [3]. Henricus denique primus, Cypri rex, Massiliensibus concessit ut vectigalia minora quam alii negotiatores solverent [4].

Postquam eas immunitates Massilienses obtinuerunt, Syriam frequentiores adierunt. Patente rursus via ad Sacra Limina invisenda, fuit peregrinorum ingens conventus. Nulla adhuc fuerant itinera quæ certis diebus aut certis mensibus susciperentur [5]; solennia nunc fuere, scilicet bina in annum vere atque æstate incipientibus, circa Pascham primum, deinde circa Sancti Johannis Baptisti festum diem. Ingentior autem copia navium, vere instante, ancoras solventium. Classes invenies quasdam, Julii etiam Augustique mensibus, suscipientes iter; appropinquante verum autumno,

1. Apud Mery et Guindon, t. 1, p. 194.
2. *Ibid.*, p. 186. Inconsulte affirmaverunt Mery et Guindon eam chartam anno MCLXXX concessam fuisse. Almericus enim anno MCXCVII tantum regnum obtinuit. Recte igitur asserit W. Heyd eamdem chartam anno MCXCVIII sigillatam fuisse.
3. Massiliæ civitatis Arch., Aa, nº 14 (ined.).
4. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 419, anno MCCXLVI.
5. Refert scriptor quidam Lugdunensis, qui Paulinus de Lumina vocatur, nono jam incipiente seculo, Lugdunenses Massiliensesque mercatores bino in annum itinere Alexandriam petere solitos esse. « Alexandria referebantur Indiæ Arabiæque aromata. Quorum pars una in Massiliensi emporio deposita a Gallicis Hispanisque negotiatoribus emebatur; altera, major quidem, per Rhodanum, Ararim, Mosellam, Rhenum, Maganum Niceremque usque ad extremas Germaniæ fines vehebatur. » Paulino vero fidem adhibere non possumus, quia non dixit quibus staret documentis.

nullas. Retulit Amalricus, Massiliensis notarius, cujus notulæ conservantur, omnes fere naves quæ anno MCCXLVIII, ab aprili usque ad Julium mensem, id est eo ipso tempore quo Ludovicus noster, Galliarum rex, qui sanctus non immerito quidem appellatus est, ad bellum in Ægyptum inferendum sese comparabat, Syriam petiisse videntur. Decem invenimus, videlicet septem aprili mense, unam Maio, unam Junio, unam denique Julio, comparatas fuisse [1]. Non in animo est nullam aliam navem, eadem ætate, idem iter suscepisse, affirmare; credimus tamen inde apparere quo tempore major navium nostrarum copia ad petendam Syriam vela facere solita sit.

Minime periculosum, trans Interius mare, iter. Favebant venti. Bene nota via erat. Littora tamen navium rectores legere solebant, nec longius a terra primum abire ausi sunt. Secundum Italas Græcasque oras incedebant classes; deinde insulas in Ægeo mare diffusas petebant, Cretam denique, Rhodum atque Cyprum aggrediebantur. A Cypro ad Syrium littus breve iter. Fretense semper mare, ut a Tyrrheno ad Ionium pergerent, naves trajiciebant. Ibi Genuenses, Pisanæ, Amalfitanæque classes obviam nostris ibant. Non adeo breve curriculum illud : sed certum et ita dispositum ne quid detrimenti personis vel rebus unquam veniret. Nec deerant stationes ad quas naves appellere potuissent sive tempestas minaretur, sive merces mutuari liberet. Sæpius in Sicilia Massilienses mercatores morari soliti erant, præcipue in urbe Messana.

1. Blancard, *Documenta ined.*, t. I et II, *passim.*

Inde Cretam petiisse et ad Syriam recte perrexisse videntur. Rarissimæ naves erant quæ nulli stationi indulgerent et littoris tutelam aspernatæ, Syriam uno tenore aggrederentur. Si rectum iter erat, vento favente, quindecim dies totidemque noctes satis erant ut perficeretur, quia duobus millibus milliariorum pæne constabat. Si Messanæ, ut solitum erat, statio fiebat, duodeviginti dies noctesque exigebantur. Sed mercenariæ naves, gravi onere impeditæ atque littus maximo studio legentes, longe tardiores erant. Refert enim Ruffi, Massiliensium historiarum scriptor, milites eos, qui, anno MCXC, ut Acconem a Sarracenis obsessam liberarent, arma susceperant, triginta et quinque diebus postquam naves conscenderant, ad urbem Ptolemaïm appulisse. Bene etiam notum est Ludovicum nostrum prædictum, quum Aquis Mortuis, octavo ante septembres calendas die discessisset, decimo quinto vel quarto ante octobres, Cyprum insulam adiisse; deinde Ægyptum tertio ante Maias idus aggressum esse et pridie Junias nonas Damiettam appulisse. Viginti igitur et quinque diebus iter ad Cyprum fecit. Cyprus autem a Syrio littore triginta et duobus fere milliariis distat, quæ uno vel bino die superantur. Quid plura? uno fere mense constabat iter ad eundum, mense uno ad redeundum. Si nunc de spatio temporis inquiritur quo mercatores, vendendi emendique causa, moram in Syria facerent, varium fuisse videtur, quia alii maritimas urbes tantum, alii autem interiores petebant. Non adeo tamen incautum est fingere illas, ut ita dicam, nundinas quæ, advectis ab Europa mercibus, in Syris urbibus patebant,

non ultra æstatem prolatas esse; mercatores rursus, etiamsi Syriam, incipiente æstate, petiissent, antequam hiems vel autumnales venti sævirent, in patriam suam redire voluisse. Addamus etiam illas adeo illustres Provinciæ vel Campaniæ nundinas præcipue, appropinquante æstate vel autumno, frequentatas fuisse, ita ut merces a Syria allatæ, Lutetiam, vel in Tricassium urbem, vel Provinum, urgente æstate, deferri debuerint. Unde concludere licet sæpius non ultra unum mensem mercatores nostros in Syria moram fecisse tribusque tantum vel nonnunquam quatuor mensibus totum iter constitisse.

Si nunc de portubus et de civitatibus maritimis, sive « de marina », ut aiunt chartæ, quos frequentiores peterent naves Massilia deductæ, disserere libet, Acco sine dubio primum ordinem obtinuit. Acconem enim, imperantibus Latinis regibus, totius Europæ negotiatores conveniebant. Amissa Hierosolyma, regni caput Acco fuit. Acconis portus, latus et a ventis securus, multas naves tueri valebat. Innumeros milites, peregrinos mercatoresque, ab Italia vel Gallia egressos, in ea urbe moram facientes vidisses. Merces etiam abundabant. Prima latinæ dominationis ætate, maxime floruit Acco. Anno autem MCLXXXVII a Sarracenis captus est. Sed quatuor tantum annis post, eum Christiani recuperaverunt. Brevi ad pristinam speciem restitutus est et longo tempore valuit. Massilienses Acconem rursus assidue convenerunt. Testis Carolus ipse, Andegaviæ dux et Provinciæ comes, qui, anno MCCLXXXIV, Hierosolymæ regnum adeptus privilegia, quæ Massilienses in Syria et præcipue in urbe

Accone obtinuerant, liberaliter confirmavit. Unde manifestum est a Massiliensibus mercatoribus omissum fuisse Acconem eo tantum tempore quo in Sarracenorum ditionem rediisset.

Secundum ordinem tenebant Tyrus Beritumque. Quum Tyrus obsideretur, maxima virtute Massilienses nituerant. Cujus auxilii memor, immensa privilegia Massiliensi civitati Conradus, Montisferrati comes, qui Tyrum adeo inclite defenderat, liberaliter, ut vidimus, concessit. Nec comes Beriti Massiliensibus negotiandi libertatem « franchesiamque », anno MCCXXIII, negavit. Beritum nonnulli Massilienses negotiatores incolebant, quia Massiliensis consul erat [1]. Naves, autem, fere omnes Acconem petebant et inde in alios Syriæ portus devehebantur.

Dum Acco ceteræque Syriæ urbes Latinæ ditionis fuerunt, Cyprus insula pæne omissa est. Statio erat tantum, navibus accipiendis idonea et longo a tempore a nautis, si dubii essent venti, petita. Sed commercium non valebat. Capto autem primum Accone [2], quum Ricardus, Angliæ rex, Cyprum a Bysantinis imperatoribus acceperit, in ea insula sedem suam reges Latini habuerunt. Qui quidem Italicis Massiliensibusque civibus negotiandi facultatem concesserunt. Duæ supersunt chartæ quæ ad Massiliam spectant : quarum una ab Almerico, anno MCCXXXVI, concessa est. Quum autem Christiani a Syria in perpetuum

1. Robertus de Ibelino, Beriti dominus, libertatem et immunitates Massiliensibus concessit, anno MCCXXIII. — Cf. chartam apud Mery et Guidon, t. I, p. 267.
2. Anno MCXCVII.

recedere coacti sunt, restituto Sarracenorum imperio, Cyprus in majus crevit; sed jam Massiliense commercium senescebat et in deterius nostra civitas labebatur [1].

Diutius nostræ cum Alexandria et Ægypto omni, consuetudines, permanserunt. Quod quidem commercium antiquissimum fuisse, nec omnino unquam cecidisse bene noscimus. Sed ubi nostræ naves orientales partes petere solitæ sunt, Massilienses libentiore animo Alexandriam vel Damiettam appulerunt. Cum Alexandrinis vel etiam Sarracenis mercatoribus, Massilienses in societatem, commercii ratione, frequentissimi veniebant [2]. Vinum aliasque merces in Ægyptum afferebant : Alexandria indica vel arabica aromata extrahebant. In urbe Alexandria fundacum erat Massiliense, consules a Massiliensibus creati [3]. Merces ab urbe Alexandria traductæ, vectigalibus, aut saltem solitorum vectigalium majore parte immunes erant. Vigebat adhuc illud commercium, vergente ad finem decimo tertio post Christum seculo. Refert W. Heyd non multum abfuisse quin rumperetur, sed brevi restitutum fuisse [4]. Quod quidem quo modo evenerit, doceri licet : anno MCCLXXII, classis quædam Massiliensis navem quamdam qua a Crimæa ad Ægyptiaci imperatoris curiam legati traducebantur, comprehenderat. Legati Acconem, captivorum habitu, deducti sunt. Eorum

1. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 186 et 419.
2. Blancard, *Docum. ined.*, t. I, pars prior, n[is] 14, 15, 19; pars secunda, n° 15.
3. *Statuta de commercio* (1228), apud Mery et Guindon, t. I, p. 339, 333. — *Statut. Massil.*, t. II, 205.
4. W. Heyd, *Hist. comm.*, t. I, p. 420.

libertatem, imperator, minatus sese omne commercium cum Massilia civitate ablaturum, vehementer repetiit. Liberatis sine mora legatis, commercium redintegratum est et usque ad medii ævi finem, etiam quum Italorum vel aliarum civitatum classes Ægyptum fere omitterent, permansit.

Nec abstinuerunt Massilienses quin alias civitates, Constantinopolim in primis, aut, si licet, Peram, commercii causa, peterent. In Peræ portu quinquagesimam tantum, sive merces afferrentur, sive efferentur, mercatores solvebant. Massiliense commercium cum Byzantinis habitum, non ruisse videtur, etiam quum bella adversus Sarracenos suscepta, cessaverunt, et Bysantinum imperium restitutum est. In Armeniam minorem etiam Massilienses convenerunt et Nigri maris littora non omiserunt. Duo, ut exemplo quodam utemur, mercatores, Massilia profecti, Trapezuntem adierunt. Eos Carolus, Andegaviæ dux anno MCCLXVI, litteris suis commendabat [1]. Cives nostri utrum brevi ex illa regione expulsi sint an diu permanserint, nullis manentibus vestigiis aut documentis, decernere non audemus.

1. Duæ sunt epistolæ quarum una septimo die decembris, anno 1266, subscripta est, altera septimo die januarii, anno 1267. — Cf. W. Heyd, *op. cit.*, p. 87, 94.

CAPUT SECUNDUM

DE MILITIA IN SYRIAM TRANSVEHENDA

Nunc iter, quod Massilienses susceperunt, urbes quas frequentissime petierunt, bene docemur. Ad homines igitur mercesque qui in Syriam transveherentur, veniamus. Si de hominibus inquiritur, alii, belli gerendi et Latini regni sustinendi vel amplificandi causa, alii pietate tantum et Christianæ religionis studio acti, crucem suscepisse videntur. Hinc militia, illinc peregrini discernuntur.

In memoriam revocare minime necesse est, antequam de illis equitibus nobilibusque viris agatur, qui undique Massiliam, navium conducendarum causa, convenerunt, innumeros Massiliæ cives et alumnos, ubi ille monacus quem Petrum Eremitam appellamus, sanctum bellum moverit, Syriam magna cum diligentia petiisse. Dux fuit ille inclitus Raimundus, Tolosæ comes, qui totis Austrinæ Galliæ copiis præfuisse videtur. Bene notat Ruffi noster, Massiliensium rerum diligentissimus scriptor, innumeram juventutem, duce Aicardo, Gaufridi, Massiliæ vice-comitis, nepote, cruce signatam fuisse et sua fortitudine in prioribus jam certaminibus, maxime nituisse. Nec

Balduino, Edessæ comiti, qui, defuncto Gaufrido, regnum adeptus est, Gaufridi, Massiliæ vice-comitis, juvamen defuit auxiliumve. Egregia nobilitas, Massilia profecta, regnante Fulcone, ad defendendas Ascalonem Jaffamque urbes accurrit; nec postea Tyrum, a Sarracenis obsessam, quam Conradus, Montisferrati comes, defendebat, omisit [1]. Testantur illæ ipsæ chartæ, de quibus in priore capite actum est, in æternam beneficii memoriam a Fulcone Balduinoque tertio, Latinorum regibus, atque a Conrado prædicto, Montisferrati comite, Massiliensibus olim concessæ.

At equites militesque qui sive in primo, sive in secundo bello, adversus Sarracenos arma gesserunt, quum Syriam petierunt, per interioris Europæ regiones iter fecerunt. Ceterum, si Massiliensis tantum militia in portu nostro ad Syriam petendam naves conduxisset, minimus certe quæstus Massiliensibus cargatoribus venisset. Sed postquam Christianitas, cæsis aut fame sitique consumptis plerisque eorum qui crucem susceperant et propter Danubii ripas aut trans Asiæ minoris montes Ciliciæque fauces iter fecerant, maximis damnis affecta est, nova via fuit, quam tutiorem et breviorem esse bellorum duces æstimaverunt. Omnes, igitur, christiani qui, incipiente tertio bello, eoas partes aggressi sunt, maritimum iter susceperunt, nec, posterioribus bellis, ab eo unquam decesserunt. Nova igitur Interioris maris portibus, Massiliæ in primis, fortuna contigit. Conti-

1. Ruffi, *Hist. Massiliæ,* 1696, p. 91 et seq.

gerunt etiam mercatoribus nostris divitiarum incrementum et rerum amplificatio, quæ usque ad bellorum finem perduraverunt.

Ab eo, enim, tempore, plerique eorum principum aut nobilium virorum qui a Gallia vel a Germania profecti sunt, Massiliam, ut naves conscenderent, convenerunt. Si regiæ ditionis Massilia fuisset, non dubium est quin, ducente rege, ii qui crucem susceperant, frequentiores eam urbem petiissent. Nec a Ludovico nostro, qui Sanctus appellatus est, Aquæ Mortuæ creatæ aut tantis immunitatibus ornatæ fuissent. Sed quamvis Galliæ reges in alienum portum devenire nonnunquam recusarent, innumeram tamen militum peregrinorumque multitudinem, ardente bello, in nostram civitatem confluxisse manifestum est.

Exemplis aliquibus utemur. Ricardus, Angliæ rex, qui virtute sua adeo nituit, quum orientales partes una cum Frederico imperatore et Philippo-Augusto nostro, Galliarum rege, adire destinaret, Massiliam venit, inde cum ingenti classe et apparatu Siciliam petiturus. Refert Ruffi prædictus, eodem tempore, quum rursus bellum conflagraret et Tyrus obsideretur, multos inclitos principes atque etiam nonnullos episcopos, cum decem millibus militum, Massiliam convenisse. Fuerunt, si licet, Robertus, Durocassium comes, ejusque frater Philippus, Bellovaci episcopus, Thibaldus, Carunti comes, Stephanus, Sincerræ comes, Rodulfus, Clari Montis comes, ut ceteros omittamus, qui naves conduxerunt atque, triginta et quinque diebus post, Ptolemaim appulerunt [1]. Eadem fere ætate, alia clas-

1. Ruffi, *Hist. Massiliæ*, p. 94 et seq.

sis, a Templi Militia aut Germanis Catalaunisque principibus instructa, Massiliam adiit ut Gallicis navibus obviam iret; postea cum Gallica nobilitate Syriam petiit.

Addit Papo, Provinciæ quidem studiosus laudator, sed extraneorum bellorum minime assertor, multos principes aut principium uxores filiasve a Syria reduces, Massiliam appellere solitos esse. Notantur Berengera, Ricardi, Angliæ regis, uxor et Johanna, Ricardi ejusdem soror, quam Willelmus, Siciliæ rex in matrimonium habuerat; quas cum debitis honoribus hospitio accepit Alfunsus [1].

Bella, igitur, adversus Sarracenos suscepta, Massiliensibus cargatoribus maximum quæstum attulerunt. Navium locationes nunquam, nisi finitis ipsis bellis, omissæ sunt. Non eodem semper ardore commercium illud vigebat. Restituta pace, minuebatur aut evanescebat. Sed flagrante rursus bello, rursus ardebat. Innumeri advenæ Massiliam conveniebant; classes ingentes, militia oneratæ, e portu nostro discedebant; gaudebant navium patroni; ita ut non adeo insipienter affirmaverit Papo prædictus Massiliam semper locupletiorem factam esse, dum Francorum regum vires bellum exhauriret et Galliæ fortuna everteretur.

Desunt (nec non luget Massiliæ civitatis historia) documenta, quibus adjuvantibus, quot et quantæ navês, Syriam aggressuræ, a Massiliensi portu abierint, discernere liceat. Tacent enim Ruffi atque Papo, nec de quarto et sequentibus bellis usque ad sancti Ludovici regnum, aliquid referre possumus.

1. Papo, *Hist. Provinciæ,* t. II, p. 272 et 299.

At bene, contra, notum est, anno MCCXLVI, quum Ludovicus noster, Galliarum rex, ut Sarracenorum potestatem everteret, Ægyptum, Sarraceni caput imperii, adire destinaret, quamvis plerique principes, regis exemplum secuti, Aquas Mortuas convenerint, nonnullos tamen Massiliam venisse ibique naves, ut Ludovico auxiliarentur, conduxisse. Refert enim Johannes, Jovis Villæ dominus, Campaniæ senescallus, qui bellum eodem studio gessit et narravit, sese Massiliam cum Sarrabrucki comite, consobrino suo, venisse, ambosque unam navem ut regem comitarentur, conduxisse [1]. Nec Ruffi tanti momenti rem omisit. Narrat, enim, eo tempore quo sævirent inter Massiliæ cives et Berengerium comitem discordiæ, Thibaldum, Campaniæ comitem, Navarræque regem, Burgundiæ Britanniæque duces, Petrum Maleclericum, Henricum, Bar comitem, Almericum Montisfortis comitem, innumeramque etiam nobilitatem Massiliam venisse, naves conscendisse et Syriam, comitante Benedicto, Massiliæ episcopo, petiisse [2].

Quid plura? Tria documenta, quibus fides certe adhibenda est, habemus : pacta scilicet quibus Guido, Forensis comes, Johannes Durocotori aut, ut ait charta, de Droeis comes, Gaufridus denique, Turonum episcopus, naves « ad navigandum de Massilia apud Cyprum vel alibi ubicumque dominus rex Franciæ et alii barones applicare voluerint ultra mare » [3], conduxerunt. Quibus documentis diligenter explicatis,

1. *Sancti Ludovici Histor.*, ed. Vailly, p. 64, n° 43.
2. Ruffi, *op. cit.*, p. 129, lib. IV, cap. VII.
3. Blancard, *Docum. ined.*, t. II, n^is 549, 777, 878.

quibus rationibus naves ad Syriam petendam conducerentur, manifestum erit, omni obscuritate remota.

Principes et viros nobiles qui Massiliensibus navibus usi sunt, retulimus. Sed de Galliæ ipso rege tacere non licet. Massiliam Ludovicus non adiit; attamen naves, quas Massilia ministrare poterat, non aspernatus est. Supersunt enim litteræ, quibus continentur conventiones quas « Guitelmus de Mari et Petrus de Templo, sindici universitatis Massiliæ cum fratre Andrea Pollino, Priore Sanctæ Domus Hierosolymæ ejusque sociis, nuntiis Galliæ regis », anno MCCXLVI, inierunt « scilicet de viginti navibus conducendis pro passagio domini regis » [1]. Item, anno MCCLXVIII, quum Ludovicus prædictus, Africam aggressurus, classem suam compararet legati fuerunt Massiliæ civitatis qui ei naves seu integras, seu « ad plateas » conducendas offerrent; at naves utrum conductæ sint necne, adhuc dubium est [2].

Massilienses naves quibus rationibus sive a principibus, sive a rege ipso conductæ sint, nunc referre liceat. Meminissemus primum Massiliæ universitatem classes, quæ Italarum civitatum classibus conferri possint, nunquam habuisse, nec amplissimos exercitus, ad Venetiæ instar, ut exemplo utamur, in Syriam transvehere valuisse. Venetia enim, publicis suis navibus, totius, ut ita dicam, Europæ exercitus quarto bello, transvehere potuit, acceptis, pro pretio, non marcharum copia quadam, sed civitatibus nonnullis, in eois

1. *Pacta naulorum*, a Jal ed. — *Docum. hist. Galliæ ined.*, a Champollion-Figeac ed., t. I, n° xxii, p. 605, 609.
2. *Pacta naulorum*, a Jal ed. — *Op. cit.*, p. 609. 614.

regionibus sitis, et dimidia fere parte Latinorum imperii. Massilia, contra, peregrinos aut milites traducendos rarissime suscepit. Naves publicæ plerumque a privatis cargatoribus, si eas res publica non desideraret, conductæ sunt. Sed ingentior erat privatarum navium copia, quas milites peregrinique, data pecunia, conducerent. Fuerunt cargatores nonnulli qui unam aut plures naves haberent et locarent. Sæpius autem duo vel plures in societatem, ad ornandam, et, quod sequitur, ad locandam navem unam, convenerunt. Si chartas revolvimus, quæ intactæ supersunt, et nomina tradentium quærimus, tres in prima charta socii, duos tantum in secunda, tres rursus in tertia inveniuntur. Socii nostri « parcionarii » appellabantur. Parcionariorum partes nonnunquam impares erant, et quod sequitur, iis non æqua pars quæstus contingebat [1].

Principes virique nobiles qui ad bellum sanctum, in orientales partes inferendum, sese comparabant, naves, longe antequam inter susciperetur, conducere solebant. Mittebantur igitur legati, qui procuratorio nomine, de omnibus quæ ad profectum necessaria essent, agerent. Quum crederet Guido, Forensis Comes, Ludovicum, Galliarum regem, circa Sancti Johannis Baptisti festum diem, in Ægyptum profecturum esse, duos procuratores, videlicet Feucherium Guarinum, militem, et W. Lumbardum, fratrem domus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolomitani, Mas-

1. *De consulatu maris*, apud Pardessus, *Corpus legum maritimarum*, t. II; — cap. CLXV, CLXXVI, de parcionariis, redundantibus verbis, agitur.

siliam misit; qui navem, quæ *Bonaventura* dicebatur nec, imperfecto adhuc apparatu, e navalibus officinis deducta erat, quindecimo ante maias calendas die, conduxerunt. Johannes autem, comes de Droeis, qui regali curiæ magis appropinquabat et Ludovici proposita scitius noverat, non adeo festinavit. Maio tantum ad finem vergente mense, procuratorem suum, Johannem de Moreia, Massiliam misit; qui, octavo ante junias calendas die, *Benedictam* conduxit. Attamen naviculatores *Bonaventuram Benedictamque* munitas et apparatas, ad octavas sancti Johannis proxime venturas, sese tradituros esse juraverunt. Gaufridus, Turonum episcopus, regem Ludovicum, non antequam Augusti mensis calendæ proximæ fuissent, iter facturum esse bene novit. Ejus igitur procuratores, Johannes Beninus, sacerdos, et Petrus de Abillet, clericus, idibus tantum juniis, navem uno mense et dimidio post, cum omni apparatu, tradendam, conduxerunt. At Ludovicus rex, qui ingentem navium copiam desiderabat, magis quam principes festinabat. Conventionem, de viginti navibus tradendis, cum Massilia, anno MCCLXVI, pactam fuisse vidimus. Item, quum de secundo bello ageretur, cum Massiliensibus anno MCCLXVIII, Ludovicus in pactionem venit. Nec incaute quidem. Appropinquante profectu, minor navium copia erat, amplius pretium exigebatur.

Armamenta quibus naves, præcipue quum fœdere pacto adhuc imperfectæ manebant, ornandæ erant, singillatim in chartis percensentur. Noscimus enim quot et quanta vela, arbores, antennas, temones etiam, *Bonaventura*, a Guidone Forensi conducta

habere debuerit. Bono et novo xylone aut, ut ait charta, « cotone » vela fabricanda erant, bono et sano ligno arbores perficiendæ. Nec cujuscumque navis ætas omittebatur. In pactione quam Ludovicus cum Massilia civitate, anno MCCXLVI habuit, quod sequitur legimus : « Naves debent esse sex annorum vel infra. » Si enim naves longo usu deformatæ fuissent, forte tanta onera accipere jam non valuissent. Addemus etiam nautarum numerum non prætermissum unquam fuisse : nautæ quadraginta vel L unicuique navi adhibebantur.

Cibos sufficientes navibus imponere cargatores debebant, ne viatores, etiamsi in portum tardiores devenissent, fame aut siti premerentur. De aqua et vino peculiariter agitur : unicuique equo quatuordecim millerolæ, aqua plenæ, tribuebantur; homini cuique una tantum millerola. De vini quantitate chartæ tacent. Nec quanta et qualia victualia fuerint, bene noscimus. Sed plurima salsamenta fuisse, si navium aliquarum onera inspiciemus, affirmare poterimus.

Nunc quales fuerint naves, quibus militia in Syriam traducebatur, quot homines vel equos acceperint, quo pretio conductæ sint, consideremus.

Statuta Massiliæ naves, quæ mille milites acceperunt, referunt. Referunt etiam quibus plus quam mille impositi sunt peregrini. Attamen sæpius de nave mille homines accipiente, agitur. Quæ LXXXV fere pedibus, a puppi ad proram usque, constabat. Sexaginta etiam equos navi eidem cargatores imponere solebant. Videmus enim *Bonaventuram* prædictam equos sexaginta accepisse, nec ingentior

equorum copia in inferiore « cooperta » locari potuisset, quia XXII pedibus constabat. Ceterum stabularia, stramentis contecta et, restibus interjectis, divisa, parabantur. Nec charta ulla est quæ stabulariorum, et quod sequitur, equorum, mentionem non referat [1].

Si nunc de naulo agitur, omnes naves non eadem ratione conductas fuisse, observandum est. Navis enim unaquæque integra nonnunquam conducebatur; eam sæpius cargatores « ad plateas », scilicet accepta, pro unaquaque platea militis vel equi, pecunia, tradebant. Quæ quidem Massiliæ civitatis consuetedo fuisse videtur. In eis enim pactionibus, quibus Massiliæ legati Ludovico, Galliarum regi, publicas naves, anno MCCLXVIII, offerebant, ea legimus : « Item si voluerint nauligare ad plateas, *secundum quod consuetum est fieri in Massilia* » [2]. Attamen nullas naves, anno MCCXLVI, integras conductas fuisse non incaute affirmare licet [3]. De utraque igitur conducendi ratione disserendum est.

Non unum et idem semper nauli pretium fuit. Naves tum octogintis, tum mille, tum etiam mille trecentisque marchis conductas fuisse docemur. Massiliæ legati octingentas marchas pro unaquaque nave, anno MCCLXVIII, a rege petunt; mille et trecentas, anno MCCXLVI exegerant, sed de navi latiore, ut videtur, actum erat [4]. Si nunc ad principes quæ naves a Mas-

1. *Statuta Massiliæ*, lib. III, cap. xxxiv; — Blancard, *Docum. ined.*, num. supradictis. — *Pacta naulorum; cum Massilia conventiones*, 1266, 1268, *passim*.
2. *Pacta naulorum*, 1268, p. 614.
3. *Ibid.*, p. 608.
4. *Ibid.* Exempli gratia, in pactione refertur navis quæ *Comi-*

siliensibus conduxerunt, venimus, eamdem fere pecuniam solutam fuisse videmus. Solvit enim Guido, Forensis comes, « pro pretio seu naulo navis suæ, DCCCCLXXV marcharum sterlincorum bonorum et legalium, ad rationem tredecim solidorum et quatuor denariorum pro singulis marchis ». Eamdem pecuniam Johannes, comes de Droeis, et Gaufridus, Turonum episcopus, solverunt, scilicet unus « mille et quinquaginta marchas », alter « duo millia sexcentasque libras turonenses ad rationem duarum fere librarum et dimidiæ pro singulis marchis » [1]. Si monetalem rationem, ætate nostra valentem, repetimus, Guido LII millia et quingentos francos, Johannes de Droeis et Gaufridus Turonensis L millia tantum francorum, solvit, id est, si mille milites impositi fuerunt, pro unoquoque milite L aut LII francos. Sed equi omittuntur nec omnium platearum pretium idem fuisse fingere non incautum est.

Si enim naves quæ « ad plateas » conductæ sunt, percensemus, tria platearum genera fuisse videmus : videlicet plateas, quæ « castelli, pontis vel paradisi » dicebantur et viatorum commoditatibus aptæ erant; deinde illas quæ « coopertæ mediæ et inferioris » appellatæ sunt; quibus autem vulgus sedebat. Pro singulis castelli, pontis, vel paradisi plateis, quæ nobilibus viris reservabantur, LX sol. turon, solvebantur; pro singulis coopertæ mediæ XXXV s. tur., pro singulis

tissa del Hospital dicebatur; at quanta fuerit, dubium est. Sed lata satis fuisse videtur. Addebat pactio, si traditæ naves majores vel minores quam *Comitissa* fuerint, augendum vel minuendum naulum futurum esse.

1. Blancard, *Docum. ined.*, num. supradict.

copertæ inferioris plateis XXV sol. tur. Sed interiorem coopertam equi sæpius occupabant; pro unoquoque equo ejusque scutifero sive custode LV sol. turon. solvebantur [1].

Iisdem fere rationibus Venetia civitas Ludovico regi publicas naves sese conducturam esse promiserat. Repetebantur enim pro modica unaquaque nave septingentæ marchæ; pro majore, mille et quadringentæ. Si de navibus ad plateas conductis ageretur, exigebantur pro uno equite cum equo suo atque tribus servis, octo marchæ ac dimidia, pro una coopertæ platea « ab arbore de medio versus puppim, duæ marchæ et quarta; pro peregrino quolibet, plateam ab arbore de medio versus proram habituro, marca una minus quarta [2]. »

Militibus, quodcumque voluerint, secum afferre licebat, non omisso tamen naulo. Solvebantur enim pro unoquoque farinæ quintale tres solidi turonens.; pro uno carnium quintali duo solidi, tres denique pro unaquaque vini *millerola* [3].

Pecunia autem, qua naves conducebantur, non integra uno die solvebatur. Duo, contra, erant, ad solvendum dies statuti : quorum unus diei locationis ipsius proximus erat, alter remotior. *Bonaventuræ*, a Guidone Forensi conductæ, pretium solvendum erat, scilicet trecentæ marchæ « ad diem Jovis futurum in hebdomade »; residuæ « antequam navis ad insulam Massiliæ duceretur ». *Benedictæ* autem pretii dimidia

1. *Pacta naulorum*, p. 611.
2. *Ibid.* p. 526.
3. *Ibid.*, p. 509.

pars (id est MCCC libr. turon.) « ad tres hebdomadas proxime venturas in nundinis Provini de maio proxime venturis » solvenda erat; dimidia « ad sex hebdomadas proxime venturas ». Quod ad tertiam navem, quæ Bonaventura quoque appellabatur, pertinet, pecunia, qua constabat locatio, eodem modo soluta est, scilicet CL marchæ ea ipsa, qua locata est, hebdomade; residuæ, sexto ante septembres calendas die.

Mulctæ in chartis edicebantur, sive naves ad dictum profectus diem non pararentur, sive pecunia debita non solveretur. Contractores etiam nonnunquam, omissis promissis, pactionem rumpere poterant. Quod ad Benedictam attinet, eam munitam et paratam sese募 trædituros esse « sub pœna quingentarum marcharum argenti » cargatores promiserant, sed « ratis manentibus pactis et conventionibus, si mora ulla fuisset ». Qui Bonaventuram tradiderant, si moram fecissent, centum et quinquaginta marchas solvere debuissent, sed, rursus, si pecunia, a Turonensi episcopo promissa, die certa non tradita fuisset, cargatoribus licuisset « dictam navem, cuicumque voluissent, *nauleiare* ». Eadem a Ludovico rege Massiliæque legatis pacta fuisse invenimus. Legati enim « viginti naves paratas et bene sarciatas omnibus necessariis, a festo Beati Johannis Baptisti die proxime venturo in unum annum » sese trædituros esse promittebant : de mulcta charta tacet, sed eam non integram habemus. Denique, quod ad navium ornamenta pertinet, nonnulli erant homines probi qui « supra omnibus questionibus discernendi potestatem habebant » ita ut promissa omittere non valerent qui naves tradiderant, nec illi qui conduxe-

rant, ultra promissa aliquid repeterent. Qui probi homines si de Ludovico et de Massiliensibus agitur, quatuor fuerunt : quorum duo a rege, duo rursus a Massiliensi universitate, electi sunt.

De pactionum forma et specie pauca addemus. Nonnullæ in foro « juxta campsorum tabulas », aliæ in Templi militiæ Domo, vel, ut aiunt chartæ, in « thesauraria » subscriptæ sunt. Sacramentorum immodica copia sæpius adhibebatur. Utræque partes non solum firmissimam suam fidem, sed etiam omnia sua bona præsentia et futura obstringebant « omni juri exceptionique et constitutionibus ab imperatoribus olim editis renuntiantes ». Testes plures, seu milites, seu negotiatores, seu clerici etiam, vocabantur. Si studium quo chartæ componerentur et amplas formulas quæ in unaquaque charta inscriptæ sint, perpendere libet, ut res ipsas, verbis adhibitis, docearis, magni certe momenti navium locationes fuerunt, nec militia in transmarinas partes, flagrante Sarraceno bello, deducta, Massiliæ civitati negotiatoribusque nostris modicum, ut videtur, quæstum attulit.

CAPUT TERTIUM

DE PEREGRINIS

Si quantum quæstum peregrini, in transmarinas partes devehendi, Massiliæ civitati attulerint, jam nunc percensere libet, oportet primum meminisse innumeram christianorum copiam, longe antequam sanctum bellum adversus Sarracenos susciperetur, sacra Limina petiisse, sive saluti suæ remittendisque peccatis consulerent, sive pietate tantum et Christiani nominis amore agerentur. Itineri suscipiendo nonnunquam obstiterunt bella flagrantia et Arabum incursiones aut Sarracenorum imperatorum invidia; ea autem pericula peregrinorum ardorem et studium non omnino prærupere, nec non continuæ, ut ita dicam, peregrinationes fuisse videntur. Nec advenis semper adversati sunt Arabum principes, etiamsi Christianæ religioni adversarentur. Undecimo autem sæculo, Turcorum reges, quum totam Asiam Minorem suæ ditionis fecissent, Arabum moderationem indulgentiamque exuerunt et Christianos nova et inaudita persecutione affecerunt. Syriam tamen non omiserunt Europæanæ gentes : imo earum crevisse diceres studium et diligentiam, crescentibus Christiani nominis

discrimine et periculis. Frequentiores enim eo tempore peregrini Syriam petierunt, undique convenientes. Tota jam, ut aiunt eorum bellorum scriptores, in Asiam confluxit Europa, ut Christianis, Syriam colentibus, auxiliaretur; et in exercitum versa est ea, quæ pietate jampridem agebatur, peregrinorum multitudo.

Quum, autem, constitutum est regnum Latinum et patuit omnibus via, periculosa nuper, nunc perfacilis et apta, ad invisendum Christi sepulcrum, undique convenere, cum militibus una, peregrini. Urbes illæ, quæ Interioris maris littori appositæ, et portu quodam aut emporio potitæ, peregrinis olim naves quasdam præbuerant, novam nunc et ingentiorem amplitudinem fortunamque, expetita majore navium copia, assecutæ sunt. In primis, Massilia civitas peregrinos innumeros accepit qui a Gallia, Germania, Anglia etiam, in portum suum convenerunt et, Palestinam aggressuri, naves conduxerunt. Fuerunt ab urbe Massilia, ad sacra Limina petenda, solennes profectus, iter assiduum et, ut videtur, continua peregrinatio.

Navium autem locationes aut etiam civium peregrinorumque utilitates negligere non poterant illi Massiliæ civitatis Rectores et Conciliarii qui tanto studio commercii nostri incrementis consulebant. Operam dare debebant ne quid incommodi peregrinis, vel rei publicæ adveniret. Inde illa *Massiliensium statutorum* capita quæ « De peregrinis ultra mare omnibus modis portandis », aut « De cargatoribus navium », aut etiam « De placiis peregrinorum constituendis » appellata sunt, et nobis quale fuerit illius

commercii incrementum, amplioribus adhibitis legibus, ipsa testantur.

Peregrinos in Syriam publicis navibus traducendos nunquam suscepit Massilia civitas, quæ tamen milites, ut vidimus, aliquando susceperat. Cargatoribus autem licuit publicas illas naves, si nulla res urgeret, data pecunia, conducere et peregrinis onerare. Multi etiam fuere cargatores qui privatas suas naves, imposita immensa peregrinorum copia, in Syriam dimiserint, nec sine quæstu magno. Massiliæ cives qui suis utilitatibus, ut decet, primum consulebant, peregrinorum a portu suo in Orientem traducendorum facultatem illis omnibus mercatoribus qui civitate Massiliensi non fruebantur, denegaverunt. Nec sæpe de jure suo decesserunt. Unum tantum invenimus pactum quo Massilienses Rectores eam, adeo expetitam facultatem concesserint, id est fœdus cum Hugone, Ampuriarum comite, pactum, quo ea referuntur. « Nos Rectores Massiliæ,... nomine Universitatis Massiliæ, villæ vicecomitalis, super his habito pleniori et deliberato concilio,... donamus et concedimus in perpetuum vobis prædicto comiti et vestris, quod unam navem quæ sit vestra vel vestrorum, possitis apud Massiliam onerare peregrinis, causa eundi ultra mare quoties volueritis, vel eam in aliud navigium mittere, videlicet Alexandriam, vel Bumgeam, vel Seytam, vel in quodlibet aliud viagium vobis placuerit oneratam et exoneratam, et pro dicta nave poteritis apud Massiliam tabulam tenere vel teneri facere, prout Massilienses pro suis navibus tabulam tenebunt [1]. » De una nave

1. Papo, *Hist. Prov.*, t. II, docum. nº XLI.

tantum nunc agitur; ita ut illa concessio eximium munus fuisse videatur; cujus gratia, Ampuriarum comes Massiliensibus « naufragium remittebat et concedebat omnium navium ceterorumque lignorum cujuscumque generis fuerint quæ Massiliensium civium esse potuerint ». Frumentum etiam quantum voluerint, ex Ampuriarum finibus extrahere Massiliensibus licebat. Forsitan, nec ea fingere adeo absurdum est, aliæ civitates, cum Massilia fœdere pacto, eodem jure usæ sunt. Tacent tamen documenta; nec amplius de iis disserere cautum est.

Militia Templi et Fratres domus Hospitalis Sancti Johannis Hierosolomitani ejusdem generis donum a Massiliæ vice-comite acceperant. Anno millesimo ducentesimo duodecimo, Hugo de Balcio, ejusque uxor Barrale et Gerardus Adhemar ejusque uxor aliique domini et vice-comitatus Massiliensis participes, pacto quodam, prædictæ Militiæ Templi prædictisque Fratribus domus Hospitalis concesserant ut peregrinos in transmarinas partes deducere possent. Utrique licebat Militiæ aut ordini navem unam bis in annum instruere quæ mille et quingenos peregrinos acciperet, omissis mercatoribus et nautis. Ubi autem Massilia civitas libertatem suam adepta est, ejus rectores ut illud donum inane fieret, magno studio intenderunt [1]. Unde ingens exorta est discordia, amplæ etiam disputationes. Magistri autem qui Militiæ Templi aut Fratribus Domus Hospitalis in urbe Hierosolyma præerant, lite implicuerunt omnes Massiliæ

1. Anno 1123. — Cf. Papo, *op. cit.*, p. 299.

colonos, qui Hierosolymam incolebant. Quæ controversia apud Oddonem de Montebeliardo, comitem stabuli et bajulum regni Latini, delata est, atque eo pacto finita, ut duas naves quotannis in Syriam mittere utrique Militiæ seu ordini liceret.

Eodem studio quo jus suum repetebant, Massiliensis universitatis rectores peregrinorum necessitatibus consulebant, et malas efferre consuetudines rectosque habitus imponere, si quis forte cargator nimia licentia dolove uteretur, nitebantur.

Bene notum est peregrinos omnes, ad instar mercatorum, Syriam, non singulos nec omni dominatione solutos, petere solitos esse, at ingenti quodam agmine congregatos, uno duce creato qui omnibus imperaret, communibus impositis statutis, communi collecta pecunia. Dux ille qui peregrinis præerat, ad pactionem veniebat cum cargatore quodam qui non solum navem ipsam, sed etiam victualia et omnia ad iter faciendum necessaria sese ministraturum esse, accepto pretio, pollicebatur. Nec omnibus mercatoribus eas pactiones inire licebat. Statuta Massiliæ decreverant ut cargatores Curia maris aut a Rectoribus approbarentur. Jurabant deinde iidem cargatores « ad sancta Dei Evangelia sese bona fide servaturos esse conventiones et pactiones quas cum peregrinis inierint ». Peregrinos defendere debebant « in sanitate, ægritudine, vita aut morte », nec cargator ullus iter suscipere poterat, antequam solennia sacramenta præstitisset [1].

Cargatorum quidem officium et munus explicare et

1. *Statuta Massiliæ*, lib. IV, cap. XXVII.

præfinire peregrinis ipsis non licebat. Statuta autem ea indicebant : unde inferre possumus quantum fuerit illud commercium, quod publico jure regeretur, quanta, rursus, licentia uti potuissent cargatores, si lex ipsa non obstitisset.

Ipse primum cargator quilibet « in propria persona, ut aiunt statuta, transire cum peregrinis debebat, nisi, ægritudine vel alio justo impedimento interveniente, remaneret; quo casu, personam idoneam ad cognitionem curiæ pro se mitteret ». Cargator ille, addit statutorum auctor, « qui contra fecerit, pro qualitate excessus arbitrio curiæ puniatur [1] ». Nec supervacuum erat cargatorem ipsum aut probum et idoneum virum quemdam, curia approbatum, itineri præesse, ut peregrinorum servarentur utilitates aut, si negligerentur, peregrino cuicumque jus suum redderetur.

De spatio aut, ut aiebant, « placiis constituendis » statuta longo agunt sermone. Peregrino cuique contingebat « platea duorum palmorum et dimidii cannæ in latitudine, in longitudine septem palmorum vel sex et dimidii ad minus ». Equo cuique tribuebatur platea trium palmarum in latitudine; de longitudine tacent statuta. Quarum platearum postquam navium cargatores pretium acceperant, eas nec minuere nec auferre licebat. « Si quis, ut legimus, temerario ausu contra venire præsumebat, pro singulis plateis minutis aut ablatis decem solidis mulctabatur », quos accipiebat solenniter Massiliensis Curiæ ærarium. Attamen cargatoribus licebat peregrinos ita collocare « ut starent,

1. *Statuta Massiliæ,* lib. IV, cap. xxvii.

more solito, uno tenente pedes versus caput alterius[1]. » Quo quidem exemplo apparet sæpissime peregrinorum navigantium humillimam fuisse conditionem.

Emebant cargatores, antequam susciperetur iter, victualia quæ peregrinis ministrarent; quæ quidem bona et incorrupta esse debebant. Ne dolo victualium pars cuique peregrino debita minueretur, Massiliæ curia consuluerat. Naves igitur omnes peregrinis oneratas, antequam Syriam peterent, inspiciebant probi quidam viri, a Massiliensi curia electi, nec quidquam immutare licebat, postquam assensissent navium inspectores[2].

In nave quacumque scriptor bonus erat qui fideliter « in duobus cartulariis scriberet peregrinorum nomina, et cognomina, si quæ fuerint, quanto clarius et discretius potuerit et sine ulla abreviatura ». Iisdem in cartulariis inscribebatur quot essent equi, si quos navis accepisset. Quorum cartulariorum unum a curiæ rectoribus servabatur, alterum a naviculatoribus. Nec ulli cargatori licebat ullum accipere peregrinum, nisi locum et sueta victualia habuerit quæ illi præbere potuerit. Quod si cargator quidam prætermitteret, centum solidis mulctabatur « pro singulis peregrinis, exceptis tamen famulis[3] ».

Famulus unus adjiciebatur pro viginti et quinque peregrinis[4]; quindecim autem servi tantum erant, si

1. *Statuta Massiliæ*, lib. IV, cap. xxv.
2. *Eod. l.*, cap. xxvii, xxxi. Cf. lib. I, cap. xxxv.
3. *Eod. l.*, cap. xxvi.
4. *Eod. l.*, cap. xxiv.

quadringenti in una nave essent peregrini aut ingentior peregrinorum copia.

Peregrino cuicumque chartam scriptor navis tradebat, in qua indiceretur platea cum nomine et cognomine ipsius peregrini. Nec scriptoribus supradictis licebat rem ullam petere, exigere aut accipere a peregrinis pro chartis signandis aut pro indicendis plateis navis [1].

Idem scriptor navis ultimas decedentium voluntates, si quis peregrinus, itinere adhuc imperfecto, moribundus eum advocaret, fideliter scribere, nec rem ullam, obsignatis tabulis, nisi testator consentiret, addere vel prætermittere debebat. A scriptore si de ultimis voluntatibus ageretur, duo testes advocandi erant qui, solenni sacramento jurantes, affirmarent eam esse testatoris voluntatem quæ in navis chartulario contineretur [2]. Si postea decessisset testator, dominus aut rector ea agere quæ voluerit defunctus peregrinus, cogebatur. Si quis, nulla dispositione habita, decessisset, res ejus dominus aut rector prædictus conservabat, et cum consilio rectoris, si tunc Massiliam veniret, vel, si Acconem peteret cum consilio consulis, eas res in aliqua religiosa domo deponebat, ut heredibus defuncti per unum annum unumque diem, fideliter reservarentur. « Si quis dominus vel rector navis muneris ejus transgressor fuerit, addunt statuta, pro qualitate excessus curiæ arbitrio puniatur [3]. »

Nec licebat cargatoribus navium, quum in pactio-

1. *Statuta Massiliæ*, cap. XXVIII.
2. *Eod. l.*, cap. XXV.
3. *Eod. l.*, cap. XXIV.

nem cum peregrinis venissent, iter statutum non perficere integrum, quamvis paucissimi fuerint qui viam ad extremum exsequerentur. Quin etiam, si quis dominus aut rector navis moram apud portum quemdam faceret, ut homines vel merces susciperet, invitosque peregrinos ibi detineret, ita ut tardius ad partes transmarinas pervenirent, poterant rectores aut consules Massiliæ illi auferre pecuniam aut, ut aiunt statuta, « totum naulum », quod a dictis peregrinis acceperat. Quæ pecunia ipsis peregrinis, si præsentes erant, restituebatur; sin autem aberant, ipsius civitatis Massiliæ ærario contingebat. Si de mora contentio erat, utrum justum fuerit impedimentum necne, et, quod sequitur, utrum justa moræ causa an injusta fuerit, a rectore aut consulibus Massiliæ decernebatur [1].

Massiliæ statuta, ut peregrinorum certa et comperta esset conditio, eo magis attenderant quo major esse videbatur cargatorum aut rectorum navium avaritia. Inde illa quæ de plateis cibis, famulis, pecuniaque reddenda agunt, capitula. Quin etiam jus commune effugiebant peregrini, sive navigarent, sive in Syriam jam appulissent. Omnes enim navigantes, e Massiliæ portu egressi, Massiliensibus civibus, si forte invenissent, auxiliari debebant. Iidem navigantes, quum in Syria sederent, Massiliæ consulibus obedire tenebantur; quibus legibus peregrini obnoxii non erant. Legimus enim apud statuta : « Constituimus ut omnes navigantes in navibus Massilie teneantur speciali sacramento jurare manutenere salvare et defendere in

1. *Statuta Massiliæ*, cap. XXVIII.

rebus et personis, contra omnes personas, homines Massiliæ et de districtu ejus in terra et in mari, et ubicumque, quamdiu perseveraverint in viagio quod inceperint cum hominibus Massiliæ; et insuper teneantur obedire consulibus Massiliæ ad mandamentum et voluntatem dictorum consulum et hujusmodi sacramentum faciant fieri et recipi seu recipiant illi qui præsunt pro tempore expediendis negotiis maris pro communi Massiliæ ab omnibus prædictis, *exceptis peregrinis cruce signatis aut aliis sanctorum limina visitantibus*[1]. » Jure igitur proprio peregrini usi sunt, qui mercatorum officia et Massiliensium consulum jurisdictionem effugere potuerunt. Peregrini enim, pietate tantum acti, nulla cupiditate aut pecuniæ acquirendæ desiderio urgente, totidem, ut ita dicam, clerici erant, religionis officio indulgentes; clerico igitur quodam munere et privilegio utebantur; in ditione episcoporum aut Sanctarum Militiarum magistrorum erant, civili autem mancipio immunes.

Attamen, invitis rectoribus, invitis etiam statutis, malæ consuetudines, malique usus fuerunt; nec cargatorum injuriis leges obviam ire valuerunt. Innumeris sacramentis domini et rectores navium obstringebantur; inania plerumque fuerunt. Quis enim utrum fides servaretur necne, itinere jam incepto, explorare potuisset? Consulesne aut rectores? longe aberant. Peregrini? In patriam suam plerique nunquam redierunt. Reducibus autem, si qui fuerunt, tardior contigit justitia. Nec dubium est, si statuta

1. *Statuta Massiliæ*, lib. IV, cap. XII.

observata fuissent fidesque major promissis adhibita, minorem fuisse cargatorum quæstum, minorem ad naves ornandas ardorem; minore certe studio Massiliæ cives consuluissent ut sibi ipsis traducendorum peregrinorum monopolium servaretur.

Inquirere forte cuidam libuerit quot naves, peregrinis oneratæ, quotannis a Massiliæ portu abirent, qua ætate armamenta præcipue componerentur, quantum fuerit pro singulis navibus aut singulis peregrinis naulum, sive quanta pecunia soluta. Licet respondere, omisso tamen navium numero, de quo quidem, deficientibus documentis, certis verbis disserere non possumus. Servatæ sunt enim chartæ quædam, quæ, nuper in vulgus edita, peregrinorum conditionem nos docere possunt. Superest illa in primis, ut exemplo utemur, charta, quam subscripserunt Petrus de Ventimilla cargator, et Olricus de Valentia Jacobusque Venetianus, peregrinorum procuratores aut duces, anno millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, eo tempore quo sanctus Ludovicus noster, Galliarum rex, crucem susceperat [1]. De illa nave agitur quæ

1. Non supervacuum esse videtur integram illam chartam nostræ adhibere operi quamvis edita fuerit a Ludovico Blancard (*Docum. ined.*, t. I, nº 155, p. 333) : « Ego Andreas de Ventimilla promitto vobis Olrico de Valentia et Jacobo Venetiano, et pactum facio quod ego providebo in expensis cibariis et poculariis ultra mare, in bucio nave Raimundi de Rodes et sociorum suorum, qui dicitur Sanctus Franciscus, tot pellegrinis quot volueritis cum expensis meis in hoc viagio marcii, pro XVIIII s. Monete miscuæ modo curribilis in Massilia, scilicet Raimundensium duplorum quæ sunt XXXVIII s. Raimundensium pro singulis pellegrinis et IIII servientes pro singulis centenariis pellegrinorum et XV servientes ultra quatuor centenaria et transfretabo ego in propria pecunia in dicto bucio cum dictis pellegrinis et solvam omne drictum curie seu communi Massiliæ et fide jubebo pro vobis apud curiam, ita quod vos conservabo quictios et

Sanctus Franciscus vocabatur et Syriam, vergente ad finem Martis mense, petitura erat. Nec dominus ipse, qui Raimundus de Rodes appellabatur, nec socii ejus (nam plures erant socii qui navem unam ornarent, ut vidimus, quum de militibus in Syriam transvehendis ageretur) Syriam cum sua nave petierunt. Eam navem conduxit Petrus de Ventimilla prædictus, qui omnia necessaria, cibaria videlicet et pocularia peregrinis ministranda, comparavit atque omnia vectigalia solvit. Mulcta indicta fuerat centum librarum regalium coronatarum, manente tamen pacto, si promissa ulla cargator omitteret. Naulum autem undeviginti constabat « solidis monetæ miscuæ modo curribilis in Massilia scilicet Raimundensium duplorum quæ erant triginta et octo solidi Raimundenses pro singulis peregrinis. »

Peregrinorum vectura, qua privatæ cargatorum divitiæ adeo creverunt, civitatis ipsius ærario non inutilis fuit. Vectigal enim illis, qui transvehendos suscipiebant peregrinos, imponebatur. Ampliore autem tributo onerabantur extraneorum cargatorum naves quam Massilienses. Legimus enim in Massiliensibus de commercio et mari statutis tertiam partem nauli

immunes omnibus expensis apud curiam faciendis pro dictis pellegrinis seu occasione eorum, et omnia prædicta vobis attendere et complere vobis promicto per stipulationem et sub pœna C. l. regalium coronatorum, que pœna comissa et exacta rato manente pacto, obligans, etc., renuntians, etc., et ad majorem cautelam juro ad Sancta Dei Evangelia, etc... Ad hec ego Jacobus de Ventemillo, civis Massilie, constituo et obligo me vobis prædictis Jacobo Venetiano et Olrico debitorem et paccatorem pro dicta pena et omnibus supradictis, obligans, etc., renuntians. De principali primo conveniendo, et ad majorem cautelam, juro, etc... Testes : Pellerius de Pino, Bernardus Sebastianus de Barchinona, Aimes de Tribus Castellis.

extraneos cargatores solvere debuisse, dum duodecim tantum denarios pro singulis peregrinis illi qui civitate fruerentur, solverent. Cujus diversitatis rationem et causam amplius explicare supervacuum erit, si meminerimus cives ipsos, ut suas utilitates servarent, statuta illa composuisse[1].

Militum profectiones minime solennes erant aut certæ. Dum bellum ferveret, extraordinario apparatu instruebantur; immensa tunc in Massiliæ portu frequentia, conventus ingens erat. Bello autem finito aut dilato, cessabant. Peregrinationes contra, continuæ. Remissior aliquando fuit ardor peregrinorum, nunquam evanuit. Tempora autem fuerunt, in unoquoque anno, ad proficiscendum aptissima, quibus non una navis tantum, sed ingentes, ut ita dicam, classes, peregrinis oneratæ, in orientales partes traducerentur, præcipue Martis mense, circa Paschæ festum diem, et, rursus, Augusti mense, quum faverent venti et mare ipsum. Quod quidem vidimus, medio decimo tertio seculo, evenisse. Scimus etiam isdem temporibus frequentiores apparatas fuisse naves quæ mercium ingentem copiam, in orientalibus partibus vendendam, transveherent.

1. De terciaria peregrinorum : Item ordinamus et confirmanus quod omnis foritaneus habens navem quæ ibit ultra mare cum alia mercadaria debet de naulo dictæ navis Massiliæ tertiam partem, sive tertiariam, non deductis aliquibus expensis, ut consuetum est. — De portibus navium : Item ordinamus et statuimus propter equitatem et equalitatem servandam inter cives Massiliæ quod omnes naves civium Massilie dent et solvant de singulis peregrinis quos portabunt XII denarios. Apud Mery et Guindon, *op. cit.*, t. I, p. 331 et 334.

CAPUT QUARTUM

DE MERCIBUS QUÆ MASSILIA IN SYRIAM ÆGYPTUMQUE TRANSVEHERENTUR

Ad merces jam veniamus. Eas primum merces quas Massilienses cargatores, Massilia abeuntes, secum in Syriam Ægyptumque traducerent, illas deinde quas iidem cargatores, a Syria aut Ægypto redeuntes, Massiliam afferrent, discernere oportet. De mercibus, quæ ab Europa in eoas partes transveherentur, prius agendum est. Explicemus igitur a quibus regionibus Massiliam illæ merces allatæ sint, quales fuerint, quanti emerentur, quibus denique rationibus in Syriam afferrentur et, indictis nundinis, venderentur.

Omnes nobiles viri, equites, aut etiam burgenses omnes qui, constituto Latinorum regno, Syriam incolere soliti sunt, ea non omisere præmia vel opera quæ olim, dum Europam habitarent, agricultura aut fabrorum industria præstiterat. Fuit contra desiderium ingens et cupido. Quin etiam Syri ipsi et tota indigenarum multitudo (si forte opibus et pecunia valerent), Francorum exempla secuti, præmia eadem operaque desideraverunt. Profluebat jam immensi quæstus fons, nuper pæne exhaustus, nunc contra perennis, si nostri

mercatores merces, quas habuerint, in eoas partes afferre vellent. Quæstum Massilienses non omiserunt. Omnia, contra, quæ Massilia producebat aut fabricabat, eoæ gentes brevi noverunt iisque uti solitæ sunt, ita ut nostras omnes artes et totam, si licet, industriam in Syriam Ægyptumque translatas fuisse dixisses.

Primum ordinem, concedo, si commercium cum eois gentibus actum atque divitias a mercatoribus acquisitas in universum consideramus, Italæ civitates certe obtinuerunt. Venetia, in primis, Pisa Genuaque adeo in Syria nituerunt, ut Orientalium partium reginæ appellari potuerint. Attamen doctissimus ille W. Heyd, qui commercii fata nuper adeo accurate revolvit, Italas civitates fere solas, privatis publicisque navibus, Europæanum proventum in Orientem transtulisse, non incaute affirmavisse videtur. Cujus in sententiam non ibimus. Teneant, ut diximus, primum ordinem, Italæ civitates; sed non ita modicum Massiliense commercium fuit, ut Italarum urbium commercio conferri non possit.

Supervacuum est (nec, deficientibus documentis, propositum adeo immodicum adire licet), quot naves, unoquoque anno, Syriam petierint, quibus mercibus oneratæ fuerint, qui cargatores negotiatoresque commercio indulserint, inquirere. Exemplis tantum uti licet. Servatæ sunt, nec intempestive quidem, Amalrici cujusdam, Massiliensis notarii, quem prius memoravimus, notulæ : innumeræ negotiatorum pactiones, aut si notarii ipsius verba referuntur, « comandæ et societates », supersunt. Quas si revolverimus, quibus rationibus Massiliæ civitatis cum eois gentibus

commercium steterit et valuerit, jam manifestum erit.

Comparabatur, anno MCCXLVIII, Martio mense, id est, ea ætate qua libentius, faventibus ventis, naves ancoras solvebant, ingens, Syriam aggressura, expeditio. Negotiatores innumeri Massiliam, convenerant; aggerebantur merces; fervebat opus. Si cui naves inspicere, merces numerare, mercatorum pacta revolvere licuisset, quantum commercium ageretur, ille affirmare certe potuisset. Quod, quidem, Amalrico duce, nunc etiam peragere possumus.

Plures fuerunt classes quæ una, vel minimo interjecto tempore, Syriam petierint. Referre libet quod cuicumque navi nomen imponeretur? Fuerunt *Sanctus Spiritus*, *Sanctus Antonius*, *Cygnus*, *Sanctus Michael*, *Sanctus Vicentius*, *Sicarda* denique, quorum mentio ad nos usque pervenerit. Illa, quæ *Sanctus Spiritus* vocabatur, Raimundi Siffredi, navis erat; quæ *Sanctus Antonius* Petri Isnardi Fulcolini. Cetera cargatorum nomina desunt. Pleræque chartæ ad *Sanctum Spiritum* pertinent. Non omittuntur tamen aliæ naves. *Sanctus Spiritus*, antequam in Syriam appelleret, Messanæ moram sese habituram esse destinabat. Iisdem mercibus naves fere omnes, non æqua certe copia, quia impares fuisse videntur, oneratæ sunt.

Nec omittere licet, quia de navibus et de cargatoribus agitur, naves multas quæ non unius domini aut, si licet, cargatoris, fuerint, ab Amalrico notatas esse. Plures contra sæpissime fuerunt cargatores qui, ut navem unam instruerent, in societatem venerint. Exemplo opus est? Navem quamdam inve-

nimus, Bonaventuram appellatam, cujus Raimundus de Narbona et Petrus Peguelerius quartam quisque partem, Bernardus etiam Gascus, W. Rucla, Poncius de Bonduell et Bernardus de Tarascone octavam quisque partem habuerunt. Quæ quidem a sociis omnibus Raimundo de Tarascona, ut iter susciperetur, commissa est[1].

In memoriam revocare necesse est, antequam ad merces ipsas, quæ in Syriam deveherentur, redeamus, Massiliense commercium præcipue pecunia commissa, monetarum mutatione et venditione, denique omnibus illis pactionibus, quibus de monetali auro argentoque agitur, constitisse. Quod quidem variis rationibus exercebatur. Paucis igitur verbis de litteris negotiatoriis, de pecunia commissa, deinde de fabricata venditaque moneta disseramus.

Negotiatores nostri, ubi Massiliense commercium floruerit, eo usi sunt adhuc pæne inaudito, sed adeo commodo et facili solvendi modo, cui negotiatoriarum litterarum nomen impositum est. Massilienses enim cum Francis in Syria sedentibus, colonis, in societatem venerant; litteras cargatoribus committebant : a Syris colonis pecunia solvebatur [2]. Ita ut, nulla traducta in Syriam pecunia, emptiones tamen venditionesque fierent.

Attamen monetæ ingens copia navibus sæpius imponebatur. Cujus pars una ad emendas merces comparabatur; alia autem a Sarracenis ipsis accipie-

1. Blancard, *Docum. ined.*, t. I, p. 409, n° 358. — Cf. Pardessus, *Corpus legum maritim.*, t. II; *de Consulatu maris,* cap. CLXV, CLXXXI.
2. Blancard, *Docum. ined.*, I, n[is] 90, 109, etc.

batur. De illa, qua merces emerentur, pecunia agere minime necessarium est, quia de mercatorum rationibus infra disseremus. At monetæ Sarracenæ ingens copia a Massiliensibus in Syriam adportata est. Sunt enim innumeræ Amalrici notarii notulæ, quibus constat aliquam « monetæ miscuæ curribilis » quantitatem, in Sarracenorum Bizantiorum numerum quemdam conversam, a negotiatoribus Massiliensibus cargatori cuidam commissam fuisse, ut ea in Syriis urbibus negotiaretur. Talis, ut exemplo utamur, Johannes ille Mandoliorum, inclitus Massiliensis mercator, qui, anno MCCXXXV, Bernardo Bonafonso, sexaginta miscuæ monetæ libras in CL bizantios sarracenos conversas, ut Accone negotiaretur, commisit [1]. Alia, nec non innumera, exempla proferre liceret. Massilienses negotiatores ingentem Sarracenæ monetæ quantitatem habuisse et in Syriam attulisse videntur. Quam quidem Massiliæ vel in aliis Galliæ civitatibus fabricatam fuisse reputandum est.

Traducebantur etiam in Syriam metalla, argentum videlicet, plumbum, ferrum stannumque. Argenti, plumbi, ferrique copiam ingentem allatam fuisse, chartis deficientibus, non credimus. Stannum autem, aut, ut aiunt chartæ, « stagnum » frequentius invenitur. Accepit, exempli gratia, *Sanctus Spiritus* CXLV quintalia stanni, CCXXX libris « curribilibus », id est duabus libris et dimidia pro singulis quintali-

1. Blancard, *Docum. ined.*, n^is 59, 60, etc. Una Massiliensis libra duobus bizantiis sarracenis et dimidio constabat; una autem libra regalium coronatorum duobus tantum bizantiis.

bus, æstimata [1]. Plumbum nullum accepit. Imposita sunt autem navi quæ *Paradisus* dicebatur et eodem fere tempore comparabatur, quadraginta plumbi quintalia in Syriam transvehenda [2]. Quæ metalla, qua e regione Massiliam allata fuerint, planius explicari non potest; bene tamen notum est Narbonnensem provinciam olim mercatoribus ingentem plumbi stannique copiam præstitisse. Addemus etiam, ut de metallis postea taceamus, argenti vivi septingentas et triginta libras *Sanctum Spiritum* transtulisse [3].

Majoris momenti erat, ut videtur, corallum. Quod quidem, eo jam tempore, de quo nunc agitur, circa Africanum et Sardiniense littus, retibus evellebatur. In Africa autem sitæ erant plures, nec non inclitæ, quæ Massilia deductæ fuerant, coloniæ. Naves innumeræ Bugeiam, Ceutam, Oranum, Tunisiumque petebant. Nec Sardinia ipsa omittebatur. Inde referebatur corallum, quod in Syriam deinde apportaretur. Inquiret forte aliquis, quanti corallum emeretur aut venderetur; quanta soluta sit pecunia, chartæ referunt; de pondere autem tacent; nec plura fingere satis cautum est [4].

Agriculturæ fruges ingentem materiam commercio non præbebant. Vinum Damiettam nonnunquam mittebatur [5]. Sed Christianis, Syriam colentibus, vinum Syriæ vites ipsæ præstabant : nostrum autem vinum,

1. Blancard, *Docum. ined.*, t. I, secunda serie, n[is] 194, 226, 365.
2. *Ibid.*, prima serie, n° 51.
3. *Ibid.*, secunda serie, n° 228.
4. *Ibid.*, secunda serie, n[os] 152, 226, 253, 304.
5. *Ibid.*, prima serie, n° 15. De « XXXVIII mejairolis vini, precio XV l. regalium coronatorum venditis agitur ».

quia melius erat, desiderabatur. Safranium et crocum Syria ipsa producebat : ingens tamen proventus illius copia in Syriam, tincturæ causa, vehebatur. Accepit, ut videtur, *Sanctus Spiritus*, sex safrani comandas, scilicet CCCXV libras, CCC fere libris miscuæ monetæ æstimatas; nam una safrani libra una monetæ miscuæ libra venalis erat. Ceterum Provincia semper safranum tulit, illa in primis regio quæ ad Druentiam vel ad Avenionem pertinet [1].

At illæ certe merces, si omnes res a Massiliensibus cargatoribus in orientales partes allatas comparaveris, secundum tantum ordinem tenere videbuntur; primum vero, textilia. Textilia quidem fabricabant, nec non egregia industria et arte, Syriæ incolæ; sed xylone et serico præcipue utebantur; quorum unum Christianorum consuetudinibus minime conveniebat, alterum ingentiore constabat pretio. Itaque textilia nostra, lana composita, ingenti cupidine desiderabantur. Omnes naves quæ Syriam petebant lana texta onerabantur, ita ut centum « pecias » *Sanctus Spiritus* certe transtulerit.

Florebant jam eo tempore officinæ Sancti Pontii, Carcassonnæ, Bitterarum, Tolosæ, Narbonis Martii, Nemausi, Montis Pessulani, Arelatis, Avenionis, Tarasconis, Massiliæ denique, in quibus panni fabricabantur crassa lana, minore pretio. Qui panni ut in Syriam veherentur, Montem Pessulanum, Narbonem Martium aut Massiliam afferebantur [2]. Sed alia etiam textilia Massiliam conveniebant, quæ in remotioribus

1. Blancard, *Docum. ined.*, secunda serie, n^{is} 35, 230, 273, 291, 320, 327.
2. *Ibid.*, t. I, n^{is} 33, 40, 76.

a nostra urbe officinis, facta fuerant. Scimus enim multas Galliæ civitates ad Oceanum vel Rhenum versas, accepta illa tenuissima lana, quam ministrabant Angliæ pecora, pannos texisse eximia arte et felicitate; inter quas vocare licet Duacum, Atrebatum urbem, Cameracum, Rothomagum, Samarobrivam, Loerium Catalaunumque[1]. Catalauni panni, sive cærulei, sive virides essent (nam maxima erat colorum diversitas), et arte et pretio alios superavisse videntur [2]. Eorum ingentem copiam navibus prædictis impositam fuisse invenimus; modicam aliæ civitates, sed non adeo parvam, commercio materiam præbuerunt. A Germania ipsa panni allati sunt [3]. Nec omittere licet « pannos tinctos in grana de Ypro [4] », aut illum Catalauni barracanum, illasve quatuor Provinenses « capas » quæ viginti et quinque libris duobusque solidis et uno denario tantum, non omisso nauli pretio [5], constabant.

Telarum quoque ingens copia a Massiliæ portu in Syriam transvehebatur. Linum quidem texebant Syri fabri, quod « boccosino » vocabatur, sed filo adeo tenui ut delicatæ fuerint vestes, ingens pretium, rarior usus. Lintea, contra, quæ ab Europæanis artificibus fabricabantur, crasso filo texta, solidiora erant et minore pecunia emebantur. Ea igitur christiani, qui Syriam incolebant, atque ipsi indigenæ, frequentius expetebant. Telam in Syriam afferendam ministravisse

1. Blancard, *Docum. ined.*, n^is 52, 78, 221; 43, 118, 275; 90, 179.
2. *Ibid.*, n^is 33, 37, 81, 84, 88, 118, 174, 175, 179, 206, 231, 247, 275.
3. *Ibid.*, n^is 126, 260, 271.
4. *Ibid.*, n° 308.
5. *Ibid.*, n° 22.

videntur præcipue Campaniæ civitates, Remorum in primis urbs [1] et Spinaudum [2]. Suppeditabant etiam Basilea [3], et plures Germaniæ civitates [4].

Sunt aliæ etiam merces quibus onerati sunt *Sanctus Spiritus* aliæque naves, quæ, eadem ætate, regni Latini Hierosolomitani fines petierunt : videlicet filum Burgundiæ [5], aurum filatum Genuense [6], scarpi auri filati Luccani [7], pelles, præcipue vulpium [8], cannabassia [9] denique, ne plura dicamus. Quæ quidem omnia, ut apparet, tam ab externis regionibus quam a Galliarum diversis provinciis Massiliam conveniebant. Massiliæ enim eo tempore multos vidisses externos qui, vendendarum suarum mercium gratia, nostra limina petierant; nonnulli rursus Massilienses negotiatores, ad emendum, totam Europam, Hispaniam præcipue et Italiam, Africamque visitabant. Attamen affirmare non incautum est Massiliense commercium textilibus præcipue, in primis lana et telis, constitisse. Pannorum ingentem copiam Narbonnensem provinciam suppeditare solitam esse, cognoscimus; quæ Massiliam afferebatur, ibique navibus imponebatur. Panni autem Campaniæ atque tela quæ Remorum præbebat civitas, in Campaniæ solennibus nundinis, a Massiliensibus mercatoribus emebantur. Frequentis-

1. Blancard, *Docum. ined.*, t. I, n^is 45, 112, 177, 212.
2. *Ibid.*, n° 228.
3. *Ibid.*, n° 326.
4. *Ibid.*, n° 271.
5. *Ibid.*, n° 130.
6. *Ibid.*, n^os 77, 173.
7. *Ibid.*, n° 190.
8. *Ibid.*, n° 146, 171.
9. *Ibid.*, n° 80, prima serie.

simi enim Massilienses in eas nundinas conveniebant, ut postea videbitur, quum de mercibus a Syria in Europam traducendis agetur; nec mirandum est, si eximiam Massiliensi commercio materiem Campania præstiterit.

Quibus autem rationibus conditionibusque illæ merces in orientales partes traducerentur venderenturque, si quis inquirere voluerit, Amalrici prædicti notulæ docebunt. Duas enim pactorum rationes fuisse videmus : videlicet « comandam » et societatem. Societas erat quum duo vel plures mercatores pecuniam vel merces suas ad agendum commercium conjungebant. Rarissime tres pluresve socii inveniuntur; duo contra sæpissime fuerunt : non æqua autem ab utroque commissa est pecunia, nec non impar, ut sequitur, quæstus fuit. Quorum sociorum unus, qui tertiam aut quartam aut etiam quintam tantum partem pecuniæ præstiterat, Syriam aut aliam regionem aggressurus, iter suscipiebat, ut commercio indulgeret et communem pecuniam, ut melius potuerit, auctitaret. Alter remanebat, et lucri partem quamdam quam frequentissime dimidiam fuisse refertur, a reduce socio accipiebat [1].

Frequentior erat comanda. Cujus ratione mercator unus ab altero mercatore vel campsore pecuniam quamdam accipiebat quam « in mercibus, ut aiunt notulæ, implicaret ». Sæpius tela aut panni eme-

1. Blancard, *Docum. ined.*, t. I, n^is 236, 239, 240. Johannes Durantus accipit a Stephano Faucoldo XL lib. Melgorensium; dictæ monetæ X lib. « ad medietatem lucri » addit. — Hugo de Beteria LXX lib. Turonensium a fratre suo accipit; XXXV lib. etiam ad medietatem lucri, addit, etc.

bantur. Qua cum comanda mercator noster » prout melius poterit vel sciverit negotiaturus », Syriam aggrediebatur. Quum autem Massiliam rediisset, quæstus in quatuor partes dividebatur, quarum tres committenti, una tantum accipienti contingebant. Mercator unusquisque sese solennibus sacramentis obstringebat « ut commandam bene fideliter portaret, teneret custodiretque, totumque capitale et lucrum reduceret et totam diceret veritatem, sua omnia bona præsentia et futura committenti obligans et omnibus renuntians exceptionibus, juri et dilationibus [1] ».

Innumeræ sunt comandæ quibus eædem pactiones formulæque referuntur. Innumera etiam mercatorum nomina. Quorum alii sese cives Massiliæ esse gloriantur; alii autem vicinarum civitatum cives vel etiam urbium longe a Massilia remotarum incolæ fuisse videntur. Montis Pessulani nomen sæpius invenitur; scimus enim ejus civitatis mercatores frequentissimos Massiliam convenisse. Quod ad Massilienses ipsos attinet, illam Mandoliorum præclaram gentem, cujus chartæ ad nos usque pervenerunt, in primis vocare possumus. Stephanum quemdam de Mandolio anno millesimo ducentesimo, Massiliam dum coleret civitatem, cum Siciliæ, Ægypti, Syriæ Africæque urbibus ingens commercium gessisse videmus. Stephani ejusdem filii, qui Bernardus Johannesque vocabantur, paternas res maxime amplificaverunt, mercibus innumeris in Syriam traductis aut a sanctis liminibus allatis. Johannem autem sci-

1. Blancard, *Docum. ined.*, passim, præcipue n^is 33, 24, 29, 32.

mus non solum divitiarum sed libertatis etiam studiosum assectatorem fuisse. Qui quidem adversus Carolum, Andegaviæ ducem, Provinciam, comitis nomine, adeptum, arma gessit et, rebellionis causa, morte damnatus est atque interfectus [1]. Nec omittere licet, quia de illustribus Massiliæ negotiatoribus nunc agitur, illam inclytam Alemanorum gentem, unde plures exorti sunt illustres mercatores, Giraudus, Bertrandusque præcipue. Addemus etiam Martinum et Bernardum Gascum fratres, campsores ambos, Berengierium Eguesurum, Bernardum de Casalibus, ejusque fratrem Hugonem, quorum nomina in unaquaque fere charta comandave inveniuntur. Inter eos, qui merces vendendas susceperant, nominare possumus Petrum Matheum juniorem, Petrum Gilium, Petrum de Bella Aqua, Laurentium de Posqueriis, Raimundum Boquerium, Raimundum de Nercio; nec, si omnes referre liberet, deficeret materia; deficeret autem tempus et spatium [2].

Judæos etiam nonnullos invenimus comandas aliquas permittentes aut accipientes. Bene notum est Judæorum coloniam quamdam, regnantibus illis Gallorum regibus qui Merovechenses aut Carolenses dicuntur, Massiliam incoluisse, ibique, ut solitum erat, commercio indulsisse [3]. Scimus etiam multos Judæos a Gallico Interioris maris littore egressos, ardente bello Sarraceno, Syriam petiisse, Acconem præcipue civitatem, et commercium usurpavisse. Nec christiano-

1. Blancard, *Docum. ined.*, Introd., p. XVI et seq.
2. *Ibid.*, passim.
3. Gregor. Turon., lib. V, cap. XI.

rum invidiam effugerunt. Syrorum terras acquirere non licuit; imo etiam, non solum christianis, sed Saracenis ipsis inferiores reputabantur, quum de jure civili ageretur [1]. Consuluerunt ipsa Massiliæ statuta ne frequentiores Judæi Syriam adirent. In unaquaque nave, Syriam aggressura, quatuor tantum Judæos esse licebat; nec Judæi Alexandriam ire poterant. Judæi autem, qui naves conscenderant, « a manducandis carnibus cessare debebant quum cessaverint ipsi christiani [2] ».

Latini Hierosolimæ reges Massiliensibus cargatoribus iterum iterumque libertatem concesserant « intrandi vel exeundi cum omnibus suis mercibus sine ulla directura aut anchoragio absque omni exactione ». Henricus ipse, Cypri tertius rex, eamdem Massiliensibus et Provinciæ gentibus dedit facultatem, non ea tamen ratione, ut merces quæ Cypri venderentur nulli obnoxiæ essent vectigali; sed de centum bizantiis unum tantum solvendum erat; quæ autem non vendita fuissent, omissa omni pecunia, auferri poterant. Meminisse, tamen, oportet Latinos reges magnas impensas sustinere debuisse, iisque vectigalia magnum quæstum attulisse. Non igitur, adeo incaute fingeres eos nonnunquam, urgente necessitate, conatos esse ut mercatorum libertatem minuerent. Intercedebant consules, nec non, pecunia data, privilegia reges confirmabant; sed rursus mercatoribus adver-

1. E. Rey, *de Coloniis Gallicis in Syria*, p. 101. — Cf. Heyd, *op. cit.*, t. I, p. 125.
2. *Statuta Massiliæ*, lib. IV, cap. XXII. Apud Mery et Guindon, t. IV, p. 115.

sabantur. Unde certamina fuerunt, quæ planius explicare, deficientibus documentis, non licet; eorum autem vestigia inveniuntur. Non evanuit tamen commercium, nec cessaverunt mercatores Massilienses quin Massilia in Syriam suas merces assidue traducerent ad hoc usque tempus, quo regnum ipsum, victoribus Sarracenis, ad summum ruerit.

CAPUT QUINTUM

DE MERCIBUS AB EOIS PARTIBUS MASSILIAM ADPORTATIS

Illis, quæ solæ ministrant India et Arabia, aromatibus et condimentis, Gallias non abstinuisse unquam supra vidimus. Easdem res Massiliam advectas fuisse, quamvis sæviret adversus Arabes bellum bene notum est. Quamdiu autem Syria Sarracenæ fuit ditionis, Indica aut Arabica condimenta, non a Syriæ portibus, sed Alexandria ad nostras oras usque allata sunt. Naves enim plurimæ, in portibus Indicis apparatæ, eas merces accipiebant et ad Ægypti orientale littus afferebant. Erat deinde comitatus quidam et camelorum vectura. Nilo fluvio denique utebantur mercatores, ut Alexandriam assequerentur. Referunt etiam nonnulli scriptores, nec non fides eorum dictis adhibenda est, raras fuisse Massilienses naves quæ Alexandriam appellerent, ut Indicas merces compararent easque Massiliam adportarent; frequentiores, contra, Italicos mercatores Massiliam convenisse et eas res attulisse.

Constituto autem regno Latino Hierosolimæ, patuerunt nova emporia. Naves igitur nostræ, non omissa

tamen Alexandria, Syriam ipsam frequentissimæ petierunt. Addamus etiam regnum Latinum fructus exquisitos atque res multas arte eximia fabricatas, nec non commercio maxime idoneas, præbuisse. Crevit itaque commercium nostrum, patente regione ampliore, amplificata materia.

De Syriæ ipsius præmiis prius agendum est. Mirabili jam ubertate Syria gaudebat; aqua in campos, maxima cum industria, adducta, fecundior terra fuit. Plurimi fuerunt villæ, coloniæque et vici, circum ingentes urbes collocati, qui, colentibus Francis, fruges exquisitas produxerunt. Septuaginta duasque magnas villas circum Ascalonem fuisse invenimus, omissis viginti parvis. Venetianis, Tyri tertiam partem adeptis, villæ octogenæ, partem urbis quam obtinebant circumagentes, contigerunt. Horti qui Tripoli non longe aberant, fructibus quos austrina Hispania Italiaque aut Baleares insulæ præbent, citreis videlicet, aureis malis, ficis, amygdalis, abundabant. Libani secundum latus sinistrum, vites vinum optimæ notæ ferebant. Gazæ et Sareptæ vina Massiliam ab antiquitate jam allata fuisse meminisse satis est. De oleis et sesanea pauca dicemus, quia, abundante Provincia, ea naves non acceperunt. Sed arundines eas omittere non licet unde saccharum exprimitur, quia colendæ arundinis et extrahendi sacchari rationem a Syriæ incolis nostri ipsi agricolæ didicerunt.

Majoris autem momenti xylon sericumque erant, quia textilia egregia et ab omnibus Europæanis expetita, xylone et serico fabricabantur. In una urbe Tripoli quatuor millia fabrorum erant, qui serici fila texerent;

nec Antiochia, imperantibus Latinorum regibus, a vetere sua fama decessit. Quid de Damasco, ejusque tapetis referre licet? quid de Jaffæ, Beruti et Tyri fictilibus, adeo subtilibus et ornatis? Quid de arte vitria adeo in Syria vigente? Quid de Syris aurificibus aut argentariis, qui Byzantinis fabris non adeo impares fuisse videntur? Plura non adjiciemus, quia Syriam ipsam navibus nostris ingentem mercium copiam præbuisse manifestum est. Inspiciamus igitur res quæ, Massiliam afferri solebant, sive eas ipsa Syria ministraret, sive ab India aut Asia interiore in Syriam, ut deinde ad nostras oras deveherentur, venissent.

Non prætereundum est, primum, christianos mercatores quin servos (nam servis abundabat Asia) venderent aut emerent, nunquam abstinuisse. Commercio isti a longo tempore Itali, in primis Venetiani et Genuenses, indulgebant. Plerique servi servæque in Ægyptum traducebantur; nonnullos tamen Itali mercatores ad Italos vel Hispanos usque portus aut etiam in Germaniam ipsam transferebant. Amalrici notarii supradictæ notulæ servos quosdam servasque Massiliam allatos, atque a civibus Massiliensibus venditos aut emptos fuisse nos docent. Nomine enim dicere licet Fatimam quamdam, Sarracenam, a W. Gaillardo W° Gepede « precio XI libr. et X solid. monetæ miscuæ modo curribilis [1] » venditam. Eodem die « Petrus de Hospitale de Tortosa, bona fide et sine omni dolo Petro Corbassac, civi Massiliensi, Sarracenam quamdam, quæ vulgo Aïssa vocabatur, pretio

1. Blancard, *Docum. ined.*, n° 120.

VIII libr. et XII denar. ejusdem monetæ [1] » vendidit. Vendiderunt quoque, non multis diebus post, Guillelmus et Berengerius Malet atque Johannes Peyron, Valentiæ cives, Hugoni Carroc servum Sarracenum, acceptis illico VIII libr. et XI solid. [2].

Attamen non eos servorum servarumque conventus, quos, solennibus diebus, Genua, Venetia, Pisa, Florentia, Lucca et Barcelona ipsa præbuerunt, in urbe Massilia unquam vidisses. Ii conventus, quamvis servos Sarracenos habere christianis liceret, adeo indecori, jam reputabantur, ut fere omnes pontifices maximi eam mercatorum fœdam cupiditatem licentiamque refrenare conati sint. Nec incaute eos servos servasque, de quibus ante actum est, ab externis mercatoribus, in Genuensibus aut Venetianis navibus, Massiliam allatos fuisse, reputare possumus. Naves enim Massilienses, quæ servos acceperint, nullas invenimus.

Nunc ad merces veniamus quæ a Syria vel Ægypto Massiliam afferri solerent. Nec desunt documenta, quibus adjuvantibus, quæ fuerint illæ merces, planius explicare liceat. Utendum est primum illis Massiliensibus de commercio regendo statutis, quæ rei cuicumque Massiliam, ut venderetur, transvectæ, vectigal certum imposuere; illis deinde chartis ac fœderibus de vendendis aut in regiones alienas afferendis mercibus inter varios mercatores pactis, quæ nos ingentem rerum diversarum copiam ab orientalibus partibus

1. Blancard, *Docum. ined.*, nº 148.
2. Inedita pactione, quæ nobis tradita est a L. Blancard, hæc venditio refertur.

Massiliam allatam sine ulla intermissione fuisse, optime docent.

Discernere primum necesse est illos fructus plantasque aut baccas quos agricultura aut natura ipsa suppeditat; illa deinde metalla et lapillos quæ e sinu terræ marisque extrahuntur; res denique quas hominum industria tractare solet et ad nostros vertit usus.

Si de condimentis et aromatibus agitur, aut de mercibus ejusdem naturæ, ab occidentalium regionum incolis semper expetitis, quæ ad cibos præparandos vel ad ungendum corpus præbent materiam, notare in primis necesse est piper et zingiber quæ ferebant India Arabiaque; casiam deinde, aut, ut aiunt chartæ, cinnamonum vel cannellam, cujus magnam copiam legebant Indici agricolæ et præcipue Ceylanæ insulæ rustici; caryophilli fructus, aut si licet, clavulos, qui ab insulis, quæ Moluscæ vocantur, Alexandriam ab Indicis navigatoribus afferebantur; nec omittere licet, ut ad unguenta veniamus, moschum, a Tibeti montibus Chinaque ipsa allatum, quia regionem quamdam inter Tibeti montes Chinæque fines sitam moschus moschiferus incolere solet; nuces deinde moschatas, brasile, cinnamoni camphora, santalum, aloe cetrino vel patico aut cavallineo, thus denique apud Arabes adeo famosum.

Tinctoribus præbebat India gummi, indicum, safranum, coccum ilicis, et præcipue alumen, quo ad tingendas vestes fabri utebantur. Alumen ab illa civitate quæ Alep vocatur, sæpius allatum fuisse nos docent Massiliensia statuta. Probandum tamen videtur alu-

men, ab Interiore Asia, Alep allatum fuisse, et inde in Syriæ civitates transvectum. Nullam materiam Europæanis artificibus magis necessariam fuisse reputamus. Nec incaute affirmare possumus nostram tinctoriam artem, ex alumine ab Oriente allato pependisse, si forte alumen, quod ab Italia afferebatur, omittere licet.

Non adeo frequenter Massiliam transvehi solebant res illæ quæ ad magnificentiam tantum sumptumque proficiunt, videlicet succinum, margaritæ, ebur. Corallum autem, quod Itali mercatores ab Indiæ littoribus afferebant, Massilienses a Sicilia aut Africa accipiebant; nec ab orientalibus partibus in nostram civitatem coralli copiam ullam, etiam minimam, allatam fuisse unquam invenimus.

De illis mercibus quæ a Syriis opificibus, non sine arte eximia, fabricabantur, pauca dicere licet, quia de Massiliæ commercio tantum agitur. Xylon et sete primum proferemus. Non negabat quidem Europa xylon quoddam, sed pejoris naturæ. Xylon autem illud, quod Syria Armeniaque minor præbebant adeo tenue et tractabile erat simul atque solidum, ut longe præstaret et majore pretio æstimaretur. Xylon, sive crudum, sine filatum, Massiliam afferebatur. Ministrabant præcipue Acco, Laodicæa atque Alep, hujus commercii capita.

Sericorum textilium minorem copiam accipiebat Massilia. Sericæ enim vestes, ingenti pretio constantes, regibus vel Sanctæ Ecclesiæ ministris reservabantur, nec multis tantum sumptum adire contingebat.

Pluribus verbis res ab orientibus partibus allatas persequi supervacuum est. Ne omittamus tamen, ut propositum nostrum expleamus, illam vitriam industriam quæ Damasci florebat, nec porcellanam a China ipsa allatam, nec saccharum denique, quoniam materiam simul atque artem fabricandi sacchari a Syris acceperimus.

Ad nostrum propositum non pertinet explicare quo modo merces ex Asia interiore vel India deductæ, ad Syriæ portus pervenirent. Nec tamen inutile esset doceri utrum Massilienses mercatores ipsi eas urbes, quæ arte sua industriaque vigerent, ad negotiandum adirent, an merces acciperent a negotiatoribus indigenis, in urbes longinquas ventitare et inde, cum mercibus emptis, in Syriam redire solitis. Non licet affirmare Massilienses nostros ad extremos Indiæ, aut tantum Asiæ Minoris fines pervenisse; nec frequentes ipsius Syriæ interioris fora urbesque, videlicet Damascum, Alep, Emesam, Rakkamve adiisse videntur. Pacta quæ supersunt, Syriorum portuum, Acconis præcipue, non interioris unquam Asiæ civitatum, nomina referunt. Itali, contra, mercatores, longius certe processerunt. Qui quidem eam ingentem mercium copiam secum afferre certe non valuissent. Comitatus fuerunt igitur quidam solennes, qui ab extremis Asiæ, Indiæ aut Arabiæ partibus, Alep, Damascum et in ceteras Syriæ urbes, appropinquantibus nundinis, convenirent. Conveniebant rursus undique Syri aut Europæani mercatores : ardebat igitur in illis civitatibus, commercium, ardebant ementium mutationes. Emptæ deinde merces in Syriæ portus adducebantur.

Asserit W. Heyd Italicas naves plerumque eas res accepisse, etiamsi ad Massiliam ipsam pervenire postea debuerint. Italicæ quidem plurimæ naves mercibus, ab Orientalibus regionibus allatis, oneratæ, Massiliam petierunt. Testantur, ne plura dicam, ea vectigalia, externarum gentium (et de Italicis præcipue agitur, quum externi aut, ut aiunt statuta, « foritanei » vocantur) navibus imposita, ingentis quæstus principium et fons. Attamen innumeræ fuere naves, a Massiliensibus cargatoribus conductæ, quibus Orientis fructus ad nostram usque civitatem transveherentur. Nec fingere possumus tot et tanta ligna, mercibus in Gallia ipsa fabricatis, onerata, Syriam petiisse, atque inde inutilia, nullo imposito onere, Massiliam rediisse. Nec non mirandum fuisset nostros mercatores eam, quam acceperant a Sarracenis pecuniam, secum inanem retulisse. Inde, tandem, exorta fuisset illa adeo fervens adversus Gallos præcipue adversus Massilienses, Genuæ, Venetiæ ceterarumque Italarum civitatum invidia, si nullum fere fuisset Massiliense commercium?

Quod quidem commercium ut servaretur augereturque magis atque magis, bene consuluerunt illi boni sapientesque viri qui Massiliensia Statuta collegerunt, impositis vectigalibus nonnullis quæ civium commercio simul atque Reipublicæ utilitatibus proficerent. Erant illa vectigalia, ne latiori indulgeamus sermoni, dacitum, leusdæ, ribagiumque maris, ut Statutorum ipsorum vocabulis utamur.

Vectigal illud, quod dacitum vocabatur, non a « foritaneis » tantum, sed etiam a Massiliensibus,

civibus, merces quasdam Massiliam afferentibus, aut e Massiliæ portu extrahentibus, solvebatur. Uno constabat « per libram denario » excepto tamen frumento aliisque victualibus [1]. Leusdæ, contra, foritaneis tantum imponebantur, sive merces suas adducerent in portum, sive eas venderent. Quatuor denarios solvebant foritanei mercatores, leusdarum causa, pro unoquoque piperis, zingembris, thuris aut xyli filati quintali, tres denarios tantum pro unoquoque quintali xyli crudi, sacchari, indici, aluminis denique; unum vero « per libram denarium » si de illis ageretur eximiis mercibus quæ non « ad quintale, sed ad libram » venderentur. Sarracenus quisque Massiliam advectus, leusdam, id est quinque solidos, solvere debebat [2].

Minoris autem momenti erat tertium illud vectigal, ribagium maris vocatum, quod foritanei soli solvebant eo tamen pacto ut merces, si non deponerentur, ribagium maris effugerent. Uno solido constabat « pro quocumque prædictarum mercium quintali »; ribagii maris gratia, duodecim denarios solvebat unusquisque Sarracenus qui Massiliam petierit [3].

Foritanei, qui Alexandria redibant, novo atque peculiari vectigali obnoxii erant. Aiunt enim statuta : « Statuimus quod foritanei venientes de Alexandria cum mercibus ibi emptis, vel cum bisantiis habitis ex illis mercibus, vel cum aliis mercibus habitis ex mercibus emptis apud Alexandriam, debeant de singulis bisantiis sex denarios Communi Massilie de tanto

1. *Statuta de commercio* (anno 1228), apud Mery et Guindon, t. II, p. 328.
2. *Ibid.*, p. 345.
3. *Ibid.*, p. 341.

quanto prædictæ naves constiterunt onerare in navi. » Cives autem Massilienses « nihil præstare tenebantur, imo inde liberi erant et franci [1] ».

Addamus etiam vectigal illud « de latu navium » duobus solidis constans [2], illudque rursus « de vasis lignorum » vocatum, quod viginti solidis, si lata navis esset, decem tantum, si exigua, constabat [3]. Nec licet omittere unaquaque nave « de ultra mare veniente » afferendam fuisse balistam unam quæ ad defendendam urbem, si casus fuisset, proficere potuisset [4].

Fingamus nunc naves, ab orientalibus partibus reduces, Massiliensem portum adeptas esse mercesque depositas fuisse. Quibus a mercatoribus emerentur, quo modo in Gallicas aut externas civitates traducerentur, quis fuerit mercatorum nostrorum quæstus, discere forsan alicui libuerit. Nec non explicare licet. Docent enim Mandoliorum, de quibus jam actum est chartæ negotiatoriæ; docent quoque Amalrici, Massiliensis notarii, notulæ.

Diximus supra naves innumeras a Massiliensibus civibus vel etiam a « foritaneis » comparatas, e nostro portu sine ulla fere intermissione discessisse et Sicilienses, Hispanas atque Africanas urbes aggressas esse. Bene notum est cargatores nostros Ceutam præcipue et Bogiam petiisse. Qui quidem in civitates illas non solum Gallicos fructus aut textilia, sed etiam condimenta, aromata et pretiosas vestes, omnesque alias

1. *Statuta de commercio* (anno 1228), t. II, p. 333.
2. *Ibid.*, p. 330.
3. *Ibid.*, p. 331.
4. *Ibid.*, p. 356.

merces, e Syria allatas, secum traducebant. Videmus enim, ut exemplis utemur, apud Amalrici notulas, navem quamdam quæ *Sanctus Vincentius* dicebatur, ingenti piperis copia oneratam, Ceutam appulisse [1]; alteram, quam *Bonaventuram* vocabant, idem suscepisse iter, nec omisisse cassiam, canforam, xylon, sete, nuces muscatas, caryophylli clavulos, aliasque merces ejusdem naturæ, eois partibus ministratas et magno studio ab Africanis gentibus expetitas [2]. Eadem fere ætate, *Sanctus Ægidius* (hoc est nomen navis alterius), casia, xylone, setique oneratus, Bogiam petebat [3]. Plurima referre liceret exempla, nostrasque ostendere naves Baleares insulas [4], Hispanum littus et præcipue Valentiam Barcelonamque [5], Siciliam [6], Angliamque ipsam [7] aggredientes, ut illis saccharum, alumen, Indicaque textilia ministrarent. Nec longiori sermoni res deficeret.

Attamen, ut propositum sequamur, omnes illæ merces navibus non imponebantur. Pars quædam, nec minima quidem, a « foritaneis » mercatoribus emebatur et in diversas Interioris Europæ civitates afferebatur. Pars altera in Campaniam vel Lutetiam traducebatur ut, ferventibus nundinis illis, quarum ad extremas Europæ fines fama pervenerat, cum lucro ingenti venderetur. Neminem fugit, ut reputamus, Massilienses mercatores frequentissimos Provinum,

1. Blancard, *Docum. ined.*, prima serie, nº 90.
2. *Ibid.*, secunda serie, n^{is} 1, 6, 13, 24, 32, 50, 270, 272.
3. *Ibid.*, t. II, nº 535; — t. I, nº 341, etc.
4. *Ibid.*, t. II, n^{is} 807, 815.
5. *Ibid.*, t. II, nº 159.
6. *Ibid.*, t. I, prima serie, nº 115; — secunda serie, *passim*.
7. *Ibid.*, t. I, prima serie, nº 99.

Tricassium urbem, Augustobonam aut etiam Bar et Lagny, convenisse, appropinquantibus nundinis, et ingens commercium ibi egisse. Quorum alii crassos Provinciæ pannos, alii Indica condimenta vel Syria textilia secum afferebant[1], aut « vetturariis » portanda committebant. Nonnunquam etiam videmus plures mercatores qui in societatem venerant, unum ex sociis in Campaniam misisse, ut omnium sociorum nomine ageret, aut etiam procuratorem quemdam commisisse qui accepta quæstus parte certa, negotiaretur et committentibus rationes fideliter redderet[2].

Quod de Campaniæ nundinis dictum est, idem de Parisiorum, sive Landiti nundinis referre liceret[3]. Massilienses negotiatores frequentes in Sancti Dionysii civitatem convenisse ibique copiosa munera Orientalium regionum affluxisse videremus. Sed plura dicere supervacuum esse videtur. Manifestum est Asiæ præmia, magis ac magis expetita, non ab externis tantum cargatoribus Massiliam accepisse; ea, contra, nostros negotiatores, postquam a Syriis mercatoribus acceperint, sæpius Massiliam attulisse, et ceteris Galliarum civitatibus præstitisse.

1. Solebant mercatores merces suas quibusdam confidere vetturariis qui eas, accepto pretio, transvehebant « bene et fideliter cum bestiis absque carretis » et eas reddebant in dictis Campaniæ nundinis. Qua ratione videmus Ramerium quemdam de Monteclaro a W. Garato nonnullas « caricas » zingembris ad Bar nundinas portandas (*Docum. ined.*, sec. serie, n° 133); Perrochan de Cortamilla et Rainulfum de Monteclaro habuisse de Petro Guillelmo, draperio, civi Massiliæ IV piperis caricas « causa portandi eas ad nundinas de Bari proxime venturas » (*ibid.*, n° 149); Gaubertum de Cosnaco a W. de Balneolis, civi Massiliæ quatuor zingembris quintalia accepisse; Petrum de Arnala a Petro de Falquim, civi Massiliæ duas caricas brasilis (*ibid.*, n^is 162, 316), etc., etc.

2. *Docum. ined.*, prima serie, n^is 43, 47.

3. *Docum. ined.*, prima serie, n° 43.

CAPUT SEXTUM

DE COLONIIS A MASSILIENSIBUS IN SYRIA CONSTITUTIS

Raræ, ut vidimus, chartæ supersunt, quibus adjuvantibus, quantum commercium a Massiliensibus in Syria habitum fuerit, planius explicare liceat. Ea igitur documenta quæ ad nos usque pervenerunt commentariis explere, quæ desunt conjectura quadam supplere necesse est. Nunc, contra, quia de coloniis a Massiliensibus in Syria constitutis agitur, illis redundantibus, quas habemus, chartis, diffidendum est. Verba sæpius amplissima fuerunt, res modicæ. Ne verbis igitur ultra modum indulgeamus; res ipsas inspiciamus. Illa primum discernenda sunt privilegia immunitatesque quæ Massiliæ civitati promissa aut concessa fuerunt, illa, rursus, quæ re ipsa nostri mercatores obtinuerunt aut quibus sine dubio usi sunt.

Operæ pretium est in mentem revocare non æquam semper fortunam potentiamque coloniis in Syriam deductis contigisse. Dum Latinorum regnum viribus suis niti valuit, coloniæ nostræ non infelicia quidem, sed ingloria fata assecutæ sunt; nulla eis civilis vel militaris potestatis pars contigit. A Latinis regibus

protegebantur coloni; cum principibus de imperio certare non valebant. Clientes erant; patroni munus assequi non conabantur. Quum autem regnum in deterius delapsum est, nec saus res tueri reges valuerunt, coloni ipsi hostibus irrumpentibus obstiterunt et quiquid servari poterat, servaverunt. Quin etiam illæ urbes a quibus convenerant coloni, matrices metropolesve dico, amplissimum auxilium regibus non negaverunt et Sarracenorum impetum refrenaverunt. Postea, ut solet, quod tuebantur, regere voluerunt. Exemplis uti necesse est? Recordemur tantum Saladinum innumerasque ejus copias, ab interiore Asia ad Syriæ littora citissime prorumpentes et omnia, incendii more, vastantes; equites virosque nobiles, cruce signatos, devictos et cæsos; urbes fere omnes, omissa regum tutela, in ditionem victoris venientes, Guidonem regem captum et illum inclitum Templi militiæ magistrum ipsum in Turcorum manus delapsum. Restitere tantum illæ ingentes urbes in quibus sedebant coloniæ quædam, ab externis negotiatoribus constitutæ, Antiochia videlicet, Tyrus, Tripolisque. Nec abstinuerunt Fredericus imperator, nec Ricardus, Angliæ rex, nec ipse noster Philippus Augustus, quominus tanti cladi auxilium et juvamen afferrent. Auxiliatæ sunt etiam illæ celeberrimæ Italiæ civitates quæ non amplo tantum commercio et immensis divitiis, sed etiam civium suorum virtute et fortitudine, enitebant. Pace autem cum Saladino pacta, muneris pretium exegerunt. Quin etiam, nunc angustissimi Latini regni fines erant; amissa fuerat Syria interior; littus tantum supererat atque urbes « de mare » a

Joppe usque ad Tyrum, id est ea regio qua Europæanæ coloniæ maxime valebant. Inde regiæ potestatis deminutio, coloniarum incrementum. Inde illarum urbium, quæ colonias deduxerant, de imperio contentiones et ambitus. Referre licet, exempli gratia, Conradum illum, Montisferrati comitem, qui Tyrum tanta cum virtute defenderat, faventibus colonis (nam ab eo immunitates ingentes privilegiaque coloniæ omnes acceperant) regnum petiisse. Assentiebantur Genuenses : negabant contra Pisani, Guidonis Lusignani partes secuti. Conrado autem defuncto, Henricus, Campaniæ comes, quamvis ei adversarentur Pisani, tamen regnum obtinuit. Cyprum tantum habuit Guido. Quid plura? Coloniæ nunc, faventibus Italis civitatibus, imperium assecutæ sunt. Reges tuentur qui suis propositis indulgent; adversantes evertere valent. Regum clientes olim negotiatores erant; patroni jam munere funguntur. Addamus etiam illas maritimas urbes quæ, ad deterius vergente regno, tamen floruerunt, vigente tantum pace, prosperas res adipisci potuisse. Inde ille belli timor et odium, pacis contra desiderium et cupido, quibus ardentibus crevit commercium, sed evanuit pristina virtus et Christiani nominis studium et amor.

Coloniæ a Massiliensibus civibus conditæ cum illis quas Italicæ civitates deduxerant non possunt comparari, si de amplitudine et potestate agitur. Attamen non adeo impar sors fuit. Prima regni Latini ætate, modicæ res nostræ fuerunt. Debellato autem Saladino, servato Accone restitutoque regno, Massilienses coloniæ tandem adoleverunt. Amplius fuit

commercium; frequentiores negotiatores in Syriam convenerunt, Massilia civitate egressi. Nonnullæ sunt tamen chartæ, quibus priores Hierosolymæ reges amplissima privilegia Massiliæ concesserunt. Imo etiam, illæ pristinæ chartæ latioribus verbis et concessionibus redundant quam recentiores; quæ quidem certiore tamen et magis præfinito sermone utuntur. Diffidamus igitur prioribus et, verbis omissis, rebus ipsis attendamus.

De illa charta pauca dicemus, qua, anno millesimo centesimo tertio, Raimundus, Sancti Ægidii comes et Provinciæ marchio, dedit et concessit « unigenito Dei filio ejusque venerabili Matri Sanctæ Mariæ, nec non pretiosis martyribus Victori et sociis ejus,... medietatem civitatis quæ Gibellet vocabatur et inter Tripolim et Berutum sita erat,... ut omnipotens Deus et Sanctorum congregatio dignarentur ejus iniquitatibus propitiari et Christianitatis adversantibus sese opponere ». Quæ donatio utrum, urbe capta, ad effectum venerit an, contra, evanuerit, dubium est. Ceterum quia de Sancti Victoris monasterio agitur, ea ad Massiliensem Universitatem nostrumque commercium minime pertinere videntur [1].

At Massiliæ cives ipsi qui, primo jam incipiente adversus Sarracenos bello, insignem famam asseculi erant, pro juvamine et auxilio quæ Latinis regibus, ut aiunt chartæ, « in personis et rebus, per mare et per terram ad acquirendum Hierosolymæ regnum, præstiterant », a prædictis regibus amplissimas immu-

1. Sancti Victoris Cartul., t. I, p. 151, n° 802.

nitates terrasque acceperunt. De immunitatibus prius actum est. Ad terras concessas nunc veniamus. Explicandum est quibus finibus illæ terræ constarent, quo modo regerentur. Sed præcipuæ chartæ, quæ supersunt, prius revolvendæ sunt.

Balduinus primus nomine qui, defuncto Gaufrido, regnum obtinuit, hanc veniam Massiliensibus dedit ut in urbe Hierosolyma furnos haberent proprios et suam regionem suasque domus ita concludere possent ne cui, nisi Massiliensi jure et civitate frueretur, intrare liceret [1].

Viginti fere annis post, Fulco, Hierosolymæ rex tertius, « Communi Massiliæ unam ruam et unam ecclesiam in Accone et Jerusalem et per totas villas de regimine in perpetuum » concessit [2].

Quod exemplum imitatus, Balduinus, tertius nomine, qui, Fulcone defuncto, rex creatus est, accepti beneficii gratia, Massilienses amplioribus beneficiis prosecutus est. Massiliæ enim civitati ut « in Jerusalem et per totas villas de mare de regno suo unam ecclesiam, unum furnum et unam viam de qua omnes domus et possessiones essent Communis Massiliæ, haberet in perpetuum veniam dedit et concessit ». Addidit etiam « castellum quoddam quod in divisione erat Ascalona et Joppe, Rame vocatum, cum omnibus bestiis et rusticis ». Eos « excommu-

1. Anno MCXVII. — Cf. Deguignes, *Mem. Acad. Inscrip.*, XXXVII, p. 515. — Incaute affirmatur eam chartam a Balduino secundo donatam fuisse; anno MCXVII supererat Balduinus primus qui, anno MCXIX tantum, mortuus est. — Cf. etiam Heyd, t. I, p. 146.

2. Massiliæ civitatis Arch., Aa, 1, anno MCXXXVI. — Cf. Papo, *Hist. Prov.*, t. II, *Docum.* n° XIV.

nicatos fore et maledictos de ore Dei et Sancti Patris potentia, qui contra prædicta dona aliquid fecerint », Balduinus rex clamabat [1].

Nullam postea chartam concessam fuisse reperimus, a medio fere duodecimo seculo usque ad eam ætatem qua, Accone servato, restitutum est Latinorum regum imperium. Tres, non longo interposito intervallo, chartas concesserunt reges Hierosolymæ, quibus constat, ut ita dicam, Massiliensium, Syriam colentium, jus quale fuerit, et quibus rationibus coloniæ nostræ steterint. Quarum chartarum priorem suscripsit, anno MCXC, Guido Lusignanus [2]; secundam, anno MCXCVIII, Amalricus [3], tertiam denique Johannes Briennæ comes, anno MCCXII [4]. Addamus etiam illas chartas, quarum una Conradus, Montisferrati dux prædictus, Massiliensibus, ut Tyri curiam et consules haberent, concessit [5], altera autem Robertus de Ibelino, Beruti comes, ut Massilienses a consulibus tantum suis judicarentur, etiamsi lis esset cum alterius urbis cive quocumque, annuere non recusavit [6].

Charta, quam subscripsit Guido rex, amplior est et latior. Confirmantur antiqua de commercio faciendo privilegia; augentur immunitates. Curia conceditur in urbe Accone; de vice-comitibus agitur et

1. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 183. — Cf. Papo, *Hist. Prov.*, t. II, *Docum.* n° XVIII, anno MCLII.
2. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 194; Papo, *Hist. Prov.*, t. II, *Docum.* n° XXV.
3. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 186, anno MCXCVIII.
4. Massiliæ civitatis Tabul., Aa, 14 (ined.).
5. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 190, anno MCLXXXVII.
6. Apud Mery et Guindon, t. I, p. 287, anno MCCXIII.

consulibus. Componitur, ut ita dicam, Massiliensium Acconensis colonia. Sed aliæ maritimæ urbes, quas priores chartæ memorabant, omittuntur. Amalricus ipse, Latinorum et Cypri rex, antiqua dona liberaliter confirmavit addiditque « unum casalem, in Cypro situm, qui *Flacie* vocabatur, cum omnibus rusticis et bestiis ». In ultima denique charta quæ a Johanne, Briennæ comite, concessa est, de illa fere tantum via, sive, ut aiebant, « ruga » quæ a sancti Demetrii ecclesia usque ad « voltam quamdam obscuram » pergebat et a prioribus regibus Massiliensibus data fuerat, agitur. Videmus etiam, externos quosdam, omissis Massiliensium privilegiis, non abstinuisse quominus domos nonnullas usurparent aut emerent, atque sæpius Latinos reges, ut tanta emendaretur licentia et in pristinum debitumque statum Massilienses redirent, consuluisse.

Ea sunt documenta, quibus explicatis, quæ coloniæ a Massiliensibus in Syria conditæ fuerint, perpendere fas est. Si quis largitionibus regum et immodicis chartarum sermonibus fidem incaute adhiberet, innumeras forte colonias fuisse, nec ullam urbem a Massiliensibus accipiendis colonis abstinuisse, crederet. Quam sententiam multis verbis refellere inutile est. Latini enim reges Europæanas colonias non libente semper animo privilegiis amplificaverunt; immunitates autem, urgente necessitate, vel beneficii cujusdam memores nec non invito unquam animo, concesserunt, et, omisso deinde periculo, vel labefacta beneficiorum memoria, minuere aut omnino abolere destinaverunt. Quod quidem Venetianis, Pisa-

nis Genuensibusque qui innumera acceperant privilegia, accidit; nec Massiliensibus accidisse fingere temerarium est. Deinde, ut ad propositum redeamus, poterantne negotiatores nostri omnes urbes Syrias invisere et colonias permultas condere? Tanta privilegia, scilicet una via aut regio in unaquaque urbe concessa, si non inutilia fuissent, res nostras non auxissent, sed affecissent; nec valere, ut ita dicam, nostrarum coloniarum disjecta membra potuissent.

At conjecturæ minime indulgeamus. Historias tantum quæ « Gesta Dei per Francos », referunt, aut etiam Massiliæ annales revolvere satis erit. Raræ, quidem, Massilienses coloniæ, non multi coloni fuerunt. Tres sunt præcipue urbes in quas nostri mercatores convenerunt et in quibus consederunt : Acco videlicet, Tyrus, Beritumque. De aliis civitatibus documenta tacent. Fulco Balduinusque reges Massiliensibus colonis furnum quemdam, viamque et ecclesiam in urbe Hierosolyma concesserunt. Sed antequam commercium nostrum adolesceret, Hierosolyma in Sarracenorum ditionem venerat; ita ut eam nunquam Massilienses mercatores assidue coluisse videantur.

De Accone contra Tyroque et Berito sæpius agitur; sed Tyro Beritoque Acco longe præstabat. Naves quæ e Massiliensi portu egrediebantur, Acconem petere solitæ erant [1]. Quin etiam, amissa Hierosolyma, Latini regni caput Acco fuit. Addemus Acconem portum latum, securum, innumeris navibus non imparem,

1. Blancard, *Docum. ined.*, passim.

præbuisse. Huc, a longo tempore, peregrini, sacra limina aggressuri, convenire solebant; Hierosolyma reduces, rursus, iter suscepturi, conveniebant. Fuit igitur in urbe Accone immensus negotiatorum, ab extremis Europæ, Asiæ Ægyptique finibus venientium, conventus, immensa variarum mercium copia. Chartæ fere omnes, quæ ad Massiliam civitatem pertinent, de Accone agunt, omisso aliarum civitatum nomine. Fuit Accone Massiliensis consul qui, incipiente Fulconis regno creatus, derelicta tantum Syria, anno fere MCCCC, decessit. Ibi furnus peculiaris fuit, ibi via et casale quoddam. Nec defuere mercatores, Massilia egressi, qui Accone consederent.

Secundum ordinem Tyrus tenet. Frequentes primo jam incipiente bello, a Gallicis provinciis in eam civitatem mercatores convenerant. Sed pauciores forte fuerunt Massilienses quam Montispessulani aut Sancti Ægidii aut Barcelonæ cives. Quidquid id est, omnes ii Massiliæ, Montispessulani, Sancti Ægidii Barcelonæque coloni in societatem, ut « Commune » quoddam mixtum, a communibus consulibus rectum perficerent, venerunt. Ad componendas lites constituta est curia quædam, cui vice-comes unus præfuit. Curiæ, sedis gratia, concessit Conradus, Montisferrati dux, « palatium quoddam viride cum omni sua pertinencia ». Addidit etiam furnum communem [1].

Robertus de Ibelino, Beruti dominus, nec regionem ullam, nec viam modo, nec furnum Massiliensibus concessisse videtur, sed consulem tantum ad lites

1. Charta anno 1187 concessa.

componendas. Attamen manifestum est, quia consul creatus fuit, plures fuisse mercatores a Massilia civitate profectos, qui Berutum adirent. Sæpius enim reperitur Beruti nomen apud Amalrici notarii notulas vel apud Mandoliorum negotiatorias chartas. Sed Berutensi coloniæ tardior fortuna contigit. Recentior est charta quæ ad Beruti colonos pertinet; qui quidem Acconensium colonorum amplitudinem et opes nunquam assecuti esse videntur.

Nec, quia de Massiliensium colonorum bonis et consulibus agitur, illam inclytam Ægypti civitatem, Alexandriam videlicet, quæ, dum Syria a Sarracenis occupata est, Orientis præmia Europæ ministravit, omittere fas est. Alexandriæ fuit Massiliense fundacum, fuerunt consules[1]. Nec adeo rara documenta sunt quæ Massilienses nonnullos Alexandriam coluisse testentur. Nunquam enim, nostros, vel etiam ditissimos mercatores, quin Ægyptum inviserent et merces ab India vel Arabia allatas ab Alexandrinis acciperent mercatoribus, abtinuisse manifestum est.

Nunc, quoniam urbes quæ Massilienses colonos acceperint bene docemur, quæ fuerint ipsæ coloniæ, id est quibus terrarum possessionibus, viis, fundacis, furnis, ecclesiis casalibusque constiterint, explicemus. Quo modo regerentur infra videbimus.

Rarissime, ut vidimus, viam aliquam integram aut regionem quamdam Massilienses a Latinis principibus acceperunt; aut si forte acceperunt, nunquam occupaverunt. Italicæ civitates sua sorte feliciores,

1. *Statuta Massiliæ,* lib. I, cap. XVIII.

urbes fere totas in Syria obtinuere; Massiliæ autem una, in urbe Accone, regio; in aliis civitatibus, domus, fundaca, furni aut casalia tantum contigerunt.

Ceterum fundacum tanti erat momenti ut eo pæne tota colonia constaret. A regionibus, quas vel aliæ coloniæ, vel ipsi Sarraceni incolebant, nonnunquam, muro quodam, nec non solidissimo, fundacum quodcumque separabatur. Attamen Europæanæ civitates sua fundaca ita disposuerant ut urbis cujusdam, non longo interposito intervallo, speciem præberent. Conjuncta fundaca Franca regio appellabantur.

Porta erat una, qua patebat introïtus, humilis et ad resistendum munita. Erat deinde curia, quam circumibat porticus. In media curia, arbores quæ umbram mercatoribus de suis rebus agentibus, ministrarent, et, si liceret, fons aliquis qui vivam aquam emitteret. Sub porticu patebant portæ, quibus mercatorum fabrorumque et artificum officinas adire erat. Ibi aggerebantur merces, nuper emptæ, aut ad vendendum apparatæ. Ibi campsorum, ut aiebant, « botegæ », et publici scriptores qui pactiones certis litteris mandarent.

Erant etiam in fundaco bajuli domus et prætorium custodiaque quæ uno verbo nonnunquam « scrivania » vocabantur. Quod quidem ædificium, sive « logia », columnis et statuis sæpe decorabatur. Infra, « bursa » mercatorum erat, prætorium in quo jus reddebatur et commune concilium congregabatur; custodia denique ad reos apta. In superiore domu consul, aut vice-comes, si quis erat, habitabat.

Nec omittendi sunt furni, nec balnea. Furnum

communem in unoquoque fundaco invenisses. Balnea aliquando deerant. Quod si evenisset, quoniam balneis indulgere necessarium erat, balnea publica, in alia regione sita, colonis una die in hebdomadem permittebantur.

Suam unaquæque colonia ecclesiam, suumque campum sanctum, possidere voluerat; qui quidem in fundaco siti erant. Inde illa ecclesiarum ingens multitudo quæ in Syria ædificatæ fuerunt, illique Sancti Campi quorum vestigia ad nostram ætatem usque pervenerunt.

Fundaca illa, de quibus agitur, non solum mercium receptacula, vel fabrorum habitationes continebant. Ita disposita fuerant, ut omnes earum urbium quæ fundaca habebant mercatores, si Syriam peterent, in ea convenire iisque sedere possent. Emporium erat, sed hospitium certe non omittebatur. Quæ dispositio, quantam utilitatem unicuique genti attulerit, facillime fingere poteris. Ceterum officinas nonnullas, extra fundacum sitas, nostri mercatores acceperunt; sed officinæ pleræque in fundaco permanserunt.

Regum jurisdictioni minime obnoxia erant fundaca eorumque incolæ. Jus dicebat consul unus et paci tranquillitatique consulebat. Nonnulli Sarraceni reges, Christianis mercatoribus ultra modum diffidentes, ut fundacorum portæ, primo vespere, clauderentur, nec prius orto sole aperirentur, jusserant; quod quidem Alexandriæ solitum fuisse certum est. Sed in Syria, dominantibus latinis regibus, fundaca libere patuerunt, nec unquam, nisi libentibus colonis, defensionis vel securitatis gratia, ostia reclusa sunt.

Attamen illæ liberæ et omni externo jure solutæ civitates, in unaquaque regni urbe conditæ, regum invidiam et odium nonnunquam moverunt, ut postea dicemus.

Quid de illis casalibus Massiliensibus nonnunquam concessis? Reges qui viam, regionem aut fundacum externis negotiatoribus concesserunt, sæpius hortos viæ, vel regioni aut fundaco prædicto proximos addiderunt. Addiderunt etiam terrarum ingentem copiamquæ urbes circumdaret, ita ut tertiam si quis urbis partem acciperet, tertiam quoque circumvenientis agri partem obtineret. Quod quidem Genuæ, Pisæ, Venetiæque evenit, ita ut Italicarum civitatum bona latius quam regum ipsorum prædia diffunderentur. Massiliæ civitatis modica, contra, fortuna fuit. Attamen Balduinus rex, tertius nomine, casale quoddam, *Rame* vocatum, quod inter Esqualonem et Joppe intererat, cum omnibus suis bestiis et rusticis, concessit [1]. Concessit etiam Rodulfus, Bethleem episcopus, casale quod *Romadet* vocabatur. Periit charta Rodulfi, aut saltem eam reperire non potuimus. Sed ad nos usque pervenit charta qua Conradus, Montisferrati dux, Massiliensibus aliisque Provinciæ civibus, casale quoddam, Maraclæa vocatum « cum omni suo territorio et pertinencia [2] » dederat. Addidit Almericus, rex Cypri, casale in insula Cypro situm, quod *Flacie* appellabatur, non omissis bestiis rusticisque [3]. Desunt documenta quibus utilitatem quæ e casalibus Massi-

1. Charta, anno MCLII concessa.
2. Charta, anno MCLXXXVII concessa.
3. Charta, anno MCCXXIII concessa.

liensibus venerit, doceamur; sed colonis nostris ea, si Italicarum civitatum annalibus, de iis rebus agentibus, credimus, multum profuerunt. Fructibus abundabant casalia : frumento, olivis, vitibus, ficis, sacchari arundinibus; unde incolis cibus, mercatoribus commercii materia tradebatur. Sed coloni casalia sua non colebant : ea Syris agricolis, tertia aut quarta tantum fructuum parte repetita, committebant.

Si de Massiliensium coloniarum regimine jam nunc agitur, imperium fere totum penes consules fuisse videtur. Nec in omnibus Syriæ vel ipsius regni Latini urbibus, etiamsi frequenter a nostris mercatoribus peterentur, Massilienses consules fuerunt. De iis tantum qui Accone, Tyri, Beritique, consulari munere fungerentur, certo sermone disserere fas est. Aliis tamen in civitatibus consules fuisse credimus; at desunt documenta. Adjuvantibus illis, quæ supersunt, annalibus, illis præcipue Massiliæ civitatis statutis quæ commercium nos bene docent, quo modo consules crearentur, quibus rationibus officium suum exercerent, planius explicare nitamur.

Consules a colonis ipsis non eligebantur; sed a Rectore Massiliensis *Communis* vel universitatis cum « consilio et assensu syndicorum et clavariorum et septimaneriarum capitum ministeriorum » nec non ingenti diligentia, creabantur. Attamen si forte contigerat « ut alicubi essent decem vel viginti homines Massiliæ (id est mercatores) ubi non fuissent consul vel consules statuti, licebat ut omnes illi homines vel major pars eorum, aut illi qui ab eis, vel majore parte eorum ad eligendos consules vel consulem electi

fuerint, per se consules Massiliæ eligerent, qui super eos et Massilienses alios advenientes haberent eamdem potestatem quam haberent alii consules a Rectore Massiliæ constituti, donec alii consules in Massilia constituti secundum quod prædictum est, ibi venerint, et non ultra ». Si quis ea ratione electus, consulatum recusabat, decem libris regalium coronatorum mulctabatur.

Non longo tempore consulare officium constabat. Consules enim in annum vel in binos annos creabantur [1]. Consuluerant enim statuta ne ii immodicæ ambitioni vel lucri amori indulgerent, qui commercium tueri debebant ; quod quidem forte evenisset, si, longo interposito temporis intervallo, Massiliensis Curiæ jus et mulctas effugere potuissent. Quin etiam, mercator nullus qui Massilia ad negociandum in Syriam venerit, nec colonus ullus qui commercio indulgeret, consulatum obtinere poterat. Excipiebantur tamen, ut vidimus, illi, qui, deficiente consule, solito more, creato, temporarium munus tantum exercebant.

Statutum erat ne consul ullus eligeretur nisi « facundia, discretione et probitate sua » insignis videretur; nec ullus consul creatus munere suo fungi poterat, nisi prius « sese fideliter officium suum gesturum et colonorum bona utilitatesque servaturum esse juraverit ». « Si quis, addunt statuta, consulum supradictorum promissa omiserit vel neglexerit, a Rectore Massiliæ in XXV librorum regalium coronatorum puniatur [2]. »

1. « Qui uno anno consules fuerint, rursus, nisi alius non inveniatur sufficiens, non creentur » *Statuta Massiliæ*, lib. I, cap. XVIII.
2. *Statuta Massiliæ*, 1258, passim.

Non unum certe, ut videtur, sed duplex officium consulibus contingebat. Massilienses colonos mercatoresque primum tuebantur et nostri commercii utilitatibus consulebant. Deinde, si quæ lites essent, judicis munere fungebantur.

Consul, primum, quia coloniæ tutelam, ut ita dicam, acceperat, ne quid detrimenti colono ulli adveniret, consulere debebat. Eum igitur sæpius regis curiam, ut colonorum commoditatibus consuleret et debita privilegia pactionesque tueretur, adeuntem vidisses. Jus suum repetere atque etiam regibus nonnunquam adversari consules ausi sunt, nec inutiliter. Sed plerumque pacta memoravisse satis fuit. Quod consules repetierant, reges Latini, ne metropolis invidia moveretur, libente animo annuerunt.

Consulendum etiam erat ne aliæ coloniæ privilegia, Massiliensibus mercatoribus a regibus concessa, omitterent, nec propriam colonorum nostrorum regionem violarent, aut etiam commercio nostro, allatis alienis mercibus, obstarent. Caverant statuta Massiliæ, nec consules tanta munera prætermiserunt. Exemplo uti necesse est? Videmus in statutis prædictis consulem Acconensem ne fundacum Massiliense vel, ut aiunt statuta, « botigas » Massiliensibus concessas, extranei usurparent, maxima cum diligentia studuisse. Vini quoque nulla copia, quæ Massilia non deveheretur, quamdiu Massiliense vinum ad vendendum allatum permanserit, vendi poterat. Quæ quidem vini venditio ingentis momenti fuisse videtur. Decreverant enim statuta, si nullus adhuc a Massiliæ Rectore creatus consul venerit, ne fundicarius ullus,

nec nabetinus (id est fundaci curator), nec vir ullus *qui suum vinum vendere voluerit vel potuerit*, consulis partes gerere posset [1].

Fundaci tranquillitati, decentiæ modestiæque præerat consul. Ne seditio vel tumultus ullus moveretur, ne ad luxuriam coloni inclinarent, cavebat. De meretricibus sacramentum erat quoddam peculiare. « Et dicti consules, aiunt statuta, qui ad partes prædictas ire debebunt vel ituri sunt, jurent ad Sancta Dei Evangelia quod nullatenus meretrices mittant vel mittere patientur ab aliquo in fundo illius terræ cui præerunt, stagiam ibi a dictis meretricibus faciendo [2]. »

Nec tamen, si qua res esset ingentis momenti, statuere consuli licebat, nisi cum assensu et consilio consiliariorum suorum; qui quidem, quot et quales fuerint, nisi quum de judiciis ageretur, discere non potuimus. Ceterum Rectoris Massiliæ mandata exsequi et perficere debebat consul unusquisque, nec a statutorum jussis discedere.

Judicis munere præcipue valebat consul, nec tamen solus jus dicebat. Consuluerant statuta ut « in causarum examinatione et decisione secum assumeret et haberet duos de consiliariis suis melioribus et discretioribus, vel unum ad minus, cum quorum consilio perageret universa [3] ». Notarius quoque erat quidam publicus, præcipue Massiliensis, si quis inveniretur, qui acta omnia scriberet et servaret. Deficiente nota-

1. *Statuta Massiliæ*, lib. I, cap. XVIII.
2. *Ibid.*, cap. XVIII.
3. *Ibid.*, cap. XIX.

rio, scriptorem quemdam navis consul eligebat, qui « speciale sacramentum subiret de his quæ audiverit cum fide et diligentia conscribendis et cartularium haberet in quo acta universa sive petitiones, positiones, responsiones testium et instrumentorum productiones, sententiæ et mandamenta scriberentur et alia omnia quæ pertinerent ad causam [1] ».

Quæ a consulibus statuta erant eamdem vim habebant quam si a curia Massiliæ judicata fuissent. Sed ad Massiliensem curiam provocare licebat « unum infra mensem post adventum illius cui bannum aliquod vel pæna imposita fuerit ». Rector autem « de banno aut pœna cognoscebat et revocare poterat si inique processum fuisse videretur, consensu consiliariorum suorum vel majoris partis eorum [2] ».

Ne judicii causa litigantes a consulibus pergravari possent, consulum emolumenta quæ solvi debuerint decreverant statuta. Si de decem bizantiis vel majore pecunia ageretur, ab eo qui succubuerit decimam partem pecuniæ consul accipiebat; si de minore, tertiam. At dimidiam partem pecuniæ quam acceperat, communi Massiliæ reddebat, ubi Massiliam redierat, simul atque cartularium « de actis causarum confectum [3] ».

De commercio tantum aut levibus quibusdam delictis statuebat consul, judicis munere functus. Reges enim aut comites qui Massiliensibus aut aliis etiam civitatibus permiserant ut consules eligerentur ad componendas lites, sibi suisque judicibus gravia

1. *Statuta Massiliæ*, lib. I, cap. XIX.
2. *Ibid.*, cap. XVIII.
3. *Ibid.*, cap. XIX.

crimina judicanda reservaverant. Ea enim verba refert illa Guidonis charta qua jus stat Massiliensium : « Damus, ait, etiam vobis curiam in Accon, et ut vicecomites et consules de hominibus vestræ gentis habeatis, ita quod, si quis extraneus contra quemlibet vestræ gentis querelam moverit, ante vice-comitem vestrum debeat devenire, ibidem judicium recipere, *excepto furto*, *homicidio*, *falsamito monete*, *violatione mulierum*, *quod rapt vulgariter dicitur*, *quæ omnia Curiæ nostræ reservamus.* » Addit etiam Guido, quasi consulibus futuris diffideret : « Vicecomes aut vir quem vobis ibidem ordinare placuerit, sacramentum fidelitatis nobis faciet et jurabit quod secundum consuetudinem curiæ nostræ judicabit [1]. » Dixerat, iisdem fere verbis usus, Conradus : « Do et concedo eis (scilicet Massiliensibus et aliis Provinciæ incolis) vice-comitatum et consulatum in Tyro per regendam curiam ut omnes tam scapuli (id est milites) quam burgenses qui nomine prædictorum communium censentur, in eorum curia judicentur de omnibus causis *præter de furto*, *rapina*, *raptu*, *trucidione et mortis datione et si ferro aliquis aliquem percusserit unde sanguis extrahatur, quæ omnia in regia curia judicanda observo* [2] ». Nec de jure suo decessisse videtur Robertus de Ibelino, qui Massiliæ civitati veniam concessit ut consules jus redderent conquerentibus [3].

Quam quidem jurisdictionem, si consulibus quos

1. Charta anno 1190 concessa.
2. Charta anno 1187 concessa.
3. Charta anno 1223 concessa.

civitates externæ, vel coloni ipsi creabant, reges Latini permisissent, regium tantum nomen et potestatis speciem servavissent. Liberæ et ab omni fere officio solutæ erant mercatorum coloniæ. Vectigalia nulla erant; commercium nullis statutis obnoxium; latæ regiones et urbes pæne integræ concedebantur. Justitia tantum regia permanserat, qua omissa, defuissent omnia regiæ potestatis vestigia. Certe si Massiliensium coloniarum annales tantum revolverentur, non adeo debilis et incerta forte videretur regum Latinorum potentia. Sed ad Italicas civitates spectare necesse est, si quæ fuerint colonorum principumque de imperio adipiscendo dissensiones et certamina, et quo modo adoleverit coloniarum, ruerit, contra, regum dominatio, intelligere libuerit.

CONCLUSIO

MASSILIÆ COMMERCIUM CUM ITALARUM CIVITATUM COMMERCIO CONFERTUR.

Quantum commercium cum eois gentibus Massilienses olim habuerint, quantam amplitudinem adeptæ sint coloniæ, quas in Syria mercatores nostri condiderant, scitius nosceremus si Massiliense commercium Massiliensesque colonias Italarum gentium commercio coloniisque, paucis quidem verbis, conferre liceret. Si quis enim Massiliæ civitatis fortunam peculiari sermone referre aggreditur, ne nimio propositi sui aut urbis suæ, si forte Massiliensi civitate fruitur, amori studioque indulgeat, et, omissis aliis civitatibus eximia specie fallatur, timendum est. Ille autem, qui externarum gentium res prospicit, etiamsi summa fastigia teneat, civitatis suæ bonas adversasque res æquiore mente explicat et suum cuique ordinem, libentiore animo, concedit. Confiteamur igitur, sine mora ulla, Massiliæ modicam, si de Syria agitur, fortunam fuisse, longe autem Italas civitates præstitisse.

Constitit præcipue, ut vidimus, Massiliense commercium navigationibus, quotannis, certis diebus, aut saltem certis ætatibus, a privatis mercatoribus, pri-

vata pecunia, susceptis. Maximo studio Rectores, legibus statutisque adhibitis, ne quid personæ aut res navigantium detrimenti caperent, consuluerunt. At tantos apparatus ipsa civitas rarissime movit. Si de iis quæ Massiliensibus navibus imponerentur, nunc anquiritur, peregrini primas partes, merces secundas tantum, tenuisse videntur. Nec ingentem mercium copiam ab externis mercatoribus, italicis adhibitis navibus, Massiliam allatam fuisse prætermittere licet. Quod ad milites adversus Sarracenos certaturos pertinet, immensa quidem fuerunt, quæ Massiliam convenerint, ut naves conscenderent, agmina; non adeo tamen ampla ut forte fingere potueris. Massiliam enim, quæ in Gallorum regum ditionem adhuc non venerat, sæpius reges iidem effugisse videntur, ut ille Ludovicus Sanctus noster qui, quum portum quemdam, qui sibi proprius esset, habere vellet, Aquas Mortuas condidit, nec tamen Massilienses naves, Ægyptum petiturus, omisit. Nonnulli quidem principes, aut externarum gentium reges, a Massilia non abhorruerunt; naves nostras, contra, conduxerunt, et naviculatoribus nostris quæstum ingentem attulerunt. Attamen eam navium, e portu nostro egredientium, copiam illis innumeris classibus, quæ a Genuensibus, Pisanis, Venetianisque instructæ sunt, componere non licet. Tot et tantas naves Italæ tantum civitates, ornare valebant. Nec non singulare exemplum Venetia protulit, quæ, pæne sola, ornatis suis tantum navibus, illud bellum, quod quartum dicitur, suscepit, bellantibus jus suum imposuit, viam quam secuturi essent, assignavit, et victrix denique, sti-

pendii gratia, innumeras civitates et dimidiam quasi partem imperii accepit.

Quæ quidem rerum et potentiæ diversitas quanta fuerit, planius manifestum erit si, de coloniis in Syria, hinc a Massiliensibus, illinc ab Italis civitatibus, constitutis — ut imperium, a Latinis in urbe Constantinopoli conditum, omittamus — etiam brevissime, egerimus.

Priores Amalfitani peregrini mercatoresque Syrorum partes invisere soliti sunt. In urbe Hierosolyma, incipiente sexto post Christum seculo, Amalfitana colonia quædam erat atque hospitalis domus quæ, libentibus imperatoribus, ad accipiendos peregrinos vel ipsos mercatores, ædificata fuerat. In urbe quoque Antiochia, antequam bella quæ Latini, cruce signati, ad majorem Dei gloriam, in Sarracenorum partes intulerunt, susciperentur, regionem quamdam hospitalemque domum Amalfitani habebant. Erant, denique, Tripoli, domus nonnullæ fundacumque, et Accone, via quædam sive regio et ecclesia, sub invocatione Sancti Nicolas.

Deinde Pisani, Genuenses, Venetianique in Palestinam Syriamque convenerunt. Antiochiam, antequam prædicta bella Christiani movissent, Pisani incolebant; qui regionem quamdam, sub invocatione Sancti Salvatoris, habuerunt. Habuerunt etiam, in urbe Laodicea, viam *Columnarum* vocatam atque ecclesiam Sancto Nicolas dedicatam. Consulem Pisanum in urbe Tripoli fuisse invenimus : mercatores, igitur, nonnulli erant. Sed longe præstabant illæ, quæ in urbe Accone, a Latinis regibus, Pisanis civibus mer-

catoribusque concessæ erant, possessiones. Ibi Pisana regio erat, Pisanus consul aut vice-comes, ita ut Pisani commercii caput Acco fuisse videatur. Amalfitani igitur Pisanorum fortunæ inviderunt. Certamina, utrique civitati funesta, fuere. Nec Italiam bellum omisit; sed ad Amalfi usque prorupit. Pisani primum præstitisse videntur. Postea, ardente inter Genuenses Venetianosque bello, fuere nova prælia et dissensiones, quorum Acco sedes aut, ut ita dicam, arena fuit; ita ut, deficiente pace, qua commercium viget, Pisanorum ipsorum res brevi ruerint [1].

Genuenses Venetianique mercatores et coloni, qui, incipiente bello adversus Sarracenos suscepto, Syriam petere et incolere soliti erant, eo tempore quo, auxiliante tota fere Europa, Acco et Tyrus urbes servatæ sunt Latinumque regnum, ut ita dicam, restitutum est, summam gloriam potestatemque obtinuerunt. Nec illis tantum possessionibus privilegiisque quæ in Syria habebant, coloni stabant. Latas in urbe Constantinopoli regiones acceperant. In Byzantino imperio Venetia primum, Genua secundum, tertium Pisa ordinem tenebat. Decimo tertio seculo, antequam illud quartum bellum, quod Venetianum totum fuit, susciperetur, Genuenses coloniæ in Byzantino imperio floruerunt. Quod ad Syriam ipsam pertinet, Genuensium fortunam Venetianorum opibus et potestati non imparem unquam fuisse manifestum est. Attamen non contemnendæ sunt illæ, quæ in urbibus Beruto, Gibelet, Antiochia denique, a Genuensibus

1. Cf. W. Heyd, *op. cit.*, t. I, p. 189 et seq.

conditæ fuerant, coloniæ. Longo enim temporis spatio, primum ordinem, Accone, Genuenses usurpaverunt. Sed postquam a Venetianis debellati sunt, Acconem fere omiserunt et Tyrum convenerunt.

Ad Venetiam tandem, quæ Orientis, etiam regnantibus principibus nostris, regina, ut ita dicam, fuit, veniamus. Eo fœdere, quod anno MCXXIII pacti sunt, in unaquaque urbe regni regionem quamdam Venetiani obtinuerant. Nec quod promissum fuerat, re ipsa possidere non valuerunt. Hierosolymæ enim regionem, Accone centum septemque ædes privatasve domus, palatium quoddam, ecclesiam quæ in honorem Venetianorum patroni, Sancti Marci dicebatur, turres denique dominicas, quæ imperii signum erant, habuerunt. Antiochiæ, consul Venetianus, fundacum, ecclesia, domus erant; in urbe Tripoli, bajulus Venetianus, curia, domus : Gibelet etiam, consulem Venetianum, et quod sequitur, mercatores fuisse manifestum est. Dum, Accone, Genuensis colonia viguit, Tyrum Venetiani præcipue coluerunt; contigerant enim tertia ejus urbis pars multaque circumjacentia casalia. Fundaca, balnea, tabernas et innumeras officinas fuisse addamus, ita ut Venetiana regio a portu usque ad urbis muros patuerit.

Quid de Venetianis consulibus vice-comitibusque dicam, aut de illo celeberrimo bajulo qui, a senatoribus ipsis creatus, regiam fere speciem fortunamque in Syria adeptus est? Poterantne, quæso, nostri consules cum Venetiano bajulo de dignitate aut de potestate decertare? Bajulus, quidem, tum Accone, tum Tyri, sedem suam habens, totam fere Syriam regere

videbatur. Syriam dico? Latius certe imperium ejus extendebatur. Ne illa enim prætermittamus immensas possessiones quæ Venetianis, in insulis Rhodo et Cypro, contigerant. In ea, quoque, urbe Alexandria, Interioris maris, ut ita dicam, capite, in quam omnes Europæanæ gentes convenerant, Venetiani certe præpollebant. Quum autem, victoribus Sarracenis, sancta bella finirent et omnes Syriæ civitates ruerent, vigebat tamen Alexandria, quæ, negantibus Syris urbibus, Europæanis mercatoribus Asiaticos fructus et opes ministrare solebat. Nec, dum floruit Alexandria, Venetianum commercium ruisse videtur.

Quid plura? Massiliæ res modicæ certe fuerunt, si Italarum civitatum rebus comparantur. Nec tamen adeo, ut credimus, despiciendæ. Massiliense commercium magis forte floruisset aut diutius permansisset, si civitati nostræ libertas simul atque potentia non defuissent, nec Andegaviæ duces, qui eam jam obtinuerant, vires ejus ad externa, nec non inutilia certamina (Siciliana bella dico) inconsulte vertissent. Quod planius, paucis verbis, explicandum est.

Obiit, anno MCCXLV, Raimundus Berengarius, quartus nomine, qui Provinciæ comes erat. Una tantum filia, quam Beatricem vocabant, supererat. Nec defuere principes illustrissimi qui eam sponsam, non omisso Provinciæ comitatu, peterent. Plures igitur partes fuere. Alii Aragonensi regi, aut potius filio ejus, favebant; alii, contra, Tolosæ comiti, quem Raimundum septimum vocabant. At Carolus, Andegaviæ dux, qui sancti Ludovici nostri frater erat, auxiliante s. papa, Innocente quarto, adjuvantibus

episcopis omnibus, nec deficiente pecunia, Beatricem conjugem simul atque Provinciæ comitatum habuit. Sed Provinciæ civitates, in primis Massilia, quæ Galliarum regi ejusque fratribus (nam omnes Galliarum provincias conjungere et uno imperio regere destinabant) magis ac magis diffidebant, arma, ut suam libertatem defenderent, susceperunt. Massilienses, cum proximis civitatibus, cum Avenione in primis, belli gerendi causa, in societatem venerunt. Sed Carolus, qui rellebantes primum contempserat, a bello, quod in Ægyptum Ludovicus rex intulerat, tandem redux, eos devincere aggressus est. Brevi Arelate captum est. Massilia autem, sex mensibus, obstitit. Deinde, capta inferiore urbe, Massilienses cum Carolo in pactionem venerunt : immunitates quædam servatæ sunt; bajulus, ab ipso comite creatus, rei publicæ consuluit. Dimidia, ut videtur, imperii parte Carolus contentus fuit. Sed brevi, ardente invidia, ea, quæ invito animo concesserat, recuperare destinavit. Massiliensibus autem virtus ad sustinendum bellum defuit. De pace actum est. Nova igitur capitula quæ « pacis » appellata sunt, fuere. Ut commercii servarentur libertas utilitatesque, fœderis auctores, Raolinus, in primis, inclitus mercator, qui pactionem, pro Massiliæ Universitate suscripsit, consuluisse videntur. Massiliæ cives « tabula maris » atque omnibus vectigalibus quæ ex salaria, annona, salsis, oleo, melle atque aliis mercibus vel fructibus percipiebantur, immunes erant. Sed eos consules, qui Massilienses colonias regerent, comes ipse creabat. Ceterum antiqua Massiliensis Reipublicæ libertas evanescebat.

Non tamen omittendum est, quia de commercio cum eois partibus acto disserimus, illud « pacis capitulum » quo Carolus idem, Andegaviæ dux, sese, quantum potuerit, operam daturum esse promittebat ut possessiones, jura, immunitates atque, ut aiebant, « franchesiæ », quæ Massilienses in partibus extra Provinciam sitis, id est « ultra mare et alibi », usurpaverant, brevi recuperarentur. Nonnullis annis post, Carolus, qui utramque Siciliam, adjuvantibus Massiliensibus ipsis, in suam ditionem redegerat et Hierosolymæ regis nomine decorabatur, ea, quæ Massilienses olim a prioribus Syriæ regibus acceperant, privilegia confirmavit.

At illæ expeditiones, quas, ad adipiscendam utramque Siciliam, Andegaviæ comites moverunt, Massiliensi commercio ingens detrimentum attulerunt. Quo modo enim commercium viguisset, eo tempore quo classes nostræ hostibus obnoxiæ erant; gentes, olim cum Massilia societate quadam conjunctæ, jam inimicorum partes gerebant, exhauriebantur denique nostræ opes ut exercitus pararentur et classes, ad bellum aptæ, ornarentur? Ad deterius igitur commercium nostrum delapsum est nec, nisi redeunte pace, meliora fata assecutum est.

Sed alia pericula, interiora, ut ita dicam, fuere, quæ commercio coloniisque nostris minarentur : primum, Latinorum regum invidia; deinde coloniarum ipsarum contentiones.

Europæanæ civitates, ingentes possessiones ingentiaque privilegia, auxilii, quod regibus principibusque, dubiis rebus, præstiterant, causa, sæpius sæpiusque

acceperant. Immunitates illas, quas non libente semper animo concesserant, reges, omisso periculo, frangere aut saltem minuere conati sunt. Venetiæ, ut exemplo quodam utamur, cujuscumque urbis in Syria sitæ, pars tertia contigerat. Quam non parvo labore, nec integram semper, Venetiani occupare valuerunt. Eadem Genuensium fortuna fuit : urbis enim Tripolis tertiam partem, ut pactum erat, usurpaverant. At brevi expulsi sunt; deleta est etiam illa honestissima inscriptio, ære fixa, quæ a Genuensibus magnam in constituendo Latinorum regno gloriam comparatam et ingens auxilium regibus ministratum fuisse memorabat. Nec integræ permansere vectigalium immunitates quæ regio, confiteor, fisco magnum detrimentum afferebant; nec consulum jurisdictio, nec ipsa religionis exercendæ facultas. Sacerdotes enim qui Genua, Venetia vel ab aliis Europæ civitatibus venerint, coloni habere voluerant. Obstiterunt Syri episcopi qui Europæanos sacerdotes, episcopalis muneris ratione, regere aggressi sunt. Inde acerbissimæ querelæ contentionesque quæ regum simul atque coloniarum vires fregerunt.

At coloniis omnibus majus certe detrimentum coloniarum ipsarum invidia et certamina intulerunt. Ea bella (nam pugnæ, nec non atroces fuere) quæ inter Amalfitanos Pisanosque, inter Pisanos et Venetianos atque inter Venetiam et Genuam, aut, ut propositum nostrum teneamus, inter Genuam Massiliamque orta sunt, referre non in animo est. Meminisse satis erit Genuam quæ urbium, in Narbonnensi provincia sitarum, fortunæ opibusque semper inviderat, earum com-

mercium facultatesque sine ulla mora abolere voluisse. Cum Raimundo, Tolosæ comite in societatem, ut Provincia peteretur divideretur que, venit. Raimundo Provinciæ pars occidentalis, Genuæ Massilia ipsa contigerat. Nec ulli navi, si Massilia egrederetur, Siciliam adire, nec, nisi Genua venisset, Massiliam petere licuisset. Brevi illa proposita et fœdera evanuere; manifestum est tamen quanta nascenti nostro commercio obstarent, quanta crescenti minarentur pericula [1].

Nec non Massiliæ adversa fuit illa, nunc a maris littore remota, olim celeberrimo portu gaudens, civitas, Montempessulanum dico, qui Gallici commercii, si de eois partibus agitur, dimidiam fere partem obtinuit. In urbe Accone, Massiliensibus Montispessulani cives adversabantur, nec non gravia damna fuerunt, si bullæ edictoque, quibus sanctus papa Alexander quartus et sanctus Ludovicus noster dissensiones sedare et invidiæ materiam tollere conati sunt, fides adhibetur. Montispessulani mercatores LX millibus solidorum regalium mulctati sunt, unde Germanus, Montispessulani veterum rerum scriptor, eos opibus et potestate Massiliam ipsam superavisse concludit [2]. Quidquid id est, nec unum bellum fuit, nec fædus unum : semper enim invidia renascebatur, et, quod sequitur, certamina movebantur. Denique, quum pax restituta est, jam Sarraceni appropinquabant, nec coloniæ viribus suis stare valebant [3].

1. Anno MCLXXIV. — Cf. W. Heyd, *op. cit.*, t. I, p. 187 et seq.
2. Bulla Alexandri IV, quarto die januarii, anno MCCLVII. — Litteræ sancti Ludovici, anno eodem. Apud Alex. Germani *Montispessulani commercii Historiam*, t. I, p. 222, 223; t. II, p. 33.
3. Plura fuere fœdera, præcipue annis MCCLIV, MCCLVII, MCCLXII.

Ille enim inclitus Ægypti imperator et rex, quem Bibars vocabant, in Syriam ruerat atque Cæsaream, Arsouf [1], Joppe, Antiochiam Gibeletque [2] vi expugnaverat. Defuncto Bibars, Kelavoun, qui regnum adeptus est, eamdem viam majore etiam cum diligentia persecutus, Laodiceam civitatem, Alexandriæ æmulam, frequentissimorum negotiatorum sedem, ceperat. In ditionem ejus Tripolis postea [3] venit; denique tandem Acco, non omissa, quidem, præclara defensione, auxiliantibus, in primis, Pisanis colonis [4]. At capto Accone, ceterarum urbium virtus cecidit. Tyrum, Sidonem, Berutum, Tortosam Gibeletque Kelavoun facillime capere potuit; nam coloni ceterique incolæ ab iis urbibus decesserant. Nullum jam Latinorum regnum erat. Jacobus Victoriacensis qui tantæ cladis causas referre aggressus est, invidiam illam illasque civitatum coloniarumque diversarum contentiones, de quibus ante actum est, in primis notat. Nec erravisse videtur. Si coloniæ omnes suas vires conjunxissent, Sarracenorum impetum rumpere, aut diutius ei resistere, forte valuissent. Sarraceno enim flagrante bello, nonnunquam restiterant; bello flagrante civili, ceciderunt.

Nec totum tamen commercium ruit. Partes, quas Syria jam non obtinuit, Cyprus insula Alexandriaque civitas, susceperunt. Reges Latini Cyprum coluerunt et servare potuerunt; Itali vel Gallici mercatores frequentissimi Alexandriam convenerunt. De Cypro pauca dicere licet, quia Massilienses eam insulam fre-

1. Anno MCCLXV.
2. Anno MCCLXVIII.
3. XXVII° die april. anni MCCLXXXIX.
4. XXVIII° die maii anni MCCXCI.

queantes adiisse non manifestum est; colonia autem defuisse videtur. Venetiani, contra, Genuenses, Pisani, Florentini atque Barcelonæ ipsius cives Cyprum sæpissime adierunt. Quod ad Galliam pertinet, Narbo Martius Monsque Pessulanus totum fere, ut credimus, Cyprium commercium usurpaverunt[1].

Alexandriam autem nostræ naves magis ac magis petierunt. Iter quod, antequam bella adversus Sarracenos a Christianis, cruce signatis, moverentur, nostri mercatores usurpaverant, rursus aggressi sunt. Ita ut Alexandriæ Syriæque fortunam imparem, imo contrariam, fuisse diceres : patente Syria, Alexandria omittitur; reclusis autem Syriæ portubus, Alexandria repetitur.

Quidquid id est, Massilienses Alexandriam frequentissimi, a decimo tertio ad finem vergente seculo, convenerunt. Omnes possessiones quas in ea urbe habuerant, fundaca, tabernas, domus, servaverunt et amplificaverunt [2]. Invitis pontificibus maximis, invitis etiam Cypri regibus, Alexandriæ Ægyptique commercium floruit. Nec Venetia, Genua, Pisa, Barcelonave quin Orientis præmia ab Alexandrinis mercatoribus acciperent, quamvis cum Cypri regibus in pactionem venissent, unquam abstinuerunt. Bellum novum rex quidam Cypri, quem Petrum primum appellabant, movit. Ægyptum Syriamque subigere Petrus destinabat; inanis spes quidem; attamen Alexandria capta est [3]. Hujus urbis fortuna et commercium ceciderunt,

1. Cf. Heyd, t. II, passim; Mas-Latire, *Hist. Cypr.*, passim.
2. Fundacum erat quoddam Massiliense, anno MCCCXXII.
3. Anno MCCCLXII.

sed brevis mora fuit. Petro enim interfecto [1], restituta pace [2], pontifex ipse maximus omnibus mercatoribus negotiandi in urbe Alexandria licentiam concessit. Resurrexerunt eo tempore, ut ita dicam, nonnullæ Syriæ civitates, in primis Acco, Berutum, Tripoli, Laodicea, Damas, Antiochia et Alep. Sed longe præstitit Alexandria, quæ Orientis quasi regina fuit, donec superato illo horrendo promontorio, quod Tempestatum vocabatur, nova ad invisendam Indiam via patuerit. Massilia autem, omissa pæne Syria, ad unam Alexandriam intendit, nec negotiatores nostri ab ea urbe unquam decesserunt, ita ut utriusque civitatis res fortunaque una semper crevisse, una ruisse videantur.

1. Anno MCCCLXIX.
2. Anno MCCCLXX.

FINIS

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI Cal. januar. anni MDCCCLXXXIX.
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

Coulommiers. — Imp. P. Brodard et Gallois.

COULOMMIERS. — TYPOG. P. BRODARD ET GALLOIS.